Harv.

L. ANNAEI SENECAE

EPISTULAE MORALES

QUO ORDINE ET QUO TEMPORE SINT SCRIPTAE COLLECTAE EDITAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

HENRICUS HILGENFELD

IENENSIS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXC.

NUMERI PAGINARUM SUNT FLECKEISENI ANNAL. SUPPLEM. TOM. XVII.

Praefatio.

Perlectis Senecae epistulis diu de earum natura atque compositione meditatus editionisque tempus enucleare conatus cum cognoscerem ex omnibus, qui eisdem de rebus scripserunt, neminem prorsus mecum consentire, quin adeo plerosque, has cum tractarent quaestiones, longe alia via esse progressos, nolebam contra tot viros eosque doctissimos in aciem descendere. Sed iterum atque iterum ipsas epistulas et recentium de eis commentationes perscrutatus, mea ipsius sententia diligenter examinata, cum mihi viderer etiam post illos aliquid posse conferre ad litem diiudicandam, haec conscripsi. Atque ne quis putaret, neglegenter me accessisse ad ipsam disputationem, sic agendum esse arbitratus sum, ut primum, quae priores attulerunt, argumenta accurate percenserem, deinde refutatis eorum erroribus nova via munita proprio Marte ostenderem, L. Annaei Senecae epistulae morales quo ordine et quo tempore essent scriptae collectae editae.

I. Priorum refutatio.

Ac primum quidem Iustus **Lipsius**, ut erat summa iudicii sagacitate, cum ederet Senecae libros, in universum iam recte cognovit totius epistularum corporis rationem atque naturam. Dixit enim [1]) non epistulas has esse, sed cotidianos conceptus sive μελετήματα, neque inepte: „Est, inquit, silva quaedam rerum et miscellanea argumenta: etsi philosophiae tamen finibus clausa. Ego censeo Senecam haec obiter et carptim scripsisse, per intervalla, utquidque meditatus erat aut incidebat inter ambulandum, exercendum, in horto, in domo, in lecto.“ Putabat autem etiam veras epistulas quasdam intervenisse, sed quasdam. Negavit omnes iustas esse et assidue sic missas. Certum scriptoris in ordinandis eis consilium non invenit.

Protulit hanc sententiam, neque vero argumentis firmavit. Reliquit igitur nobis illam operam, ut anquiramus, num recte iudicaverit.

1) ed. III. Antv. 1632. praef. ad epp. p. 385.

[illegible] esse epistulas morales [illegible] Seneca [illegible] Lugdunensem, [illegible] men[illegible] in quod [illegible] epistulas etiam illi [illegible] esse m. [illegible] non [illegible] intra bien[illegible] ep. 49, iam [illegible] in prioribus epi[illegible] quasdam [illegible] quaestio, [illegible] annis ad[illegible].

[illegible] a Seneca ipso [illegible] ep. [illegible] nihil aliud con[illegible].

[illegible] **Haase**[4] [illegible] epistulas, quam[illegible] tamen non [illegible] a Seneca [illegible] sed post eius [illegible] Neronis [illegible] demonstraret duo[illegible].

[illegible] XX [illegible] Senecae ami[illegible] non cives Ro[illegible] desidera[illegible] *amico tuo.* [illegible] *Quod ad duos* [illegible] *vitia emen-*[illegible] 42₁: *Iam* [illegible] *a Platone* [illegible] 64₁: *inter-*[illegible] *egregius et,* [illegible] *ac strenuus.* [illegible] — N[illegible] — [illegible] 83₁: *Quid illum* [illegible] *mehercules* [illegible] *magnus ille re-*[illegible] haud parvas [illegible] 42, [illegible] Quod etsi factum esse [illegible] a Seneca [illegible] ei super[illegible] in philosophi [illegible] Neronis [illegible] enim nomen

1) [illegible] p. 618—9.
2) [illegible] A XV [illegible] 88 sq.
3) [illegible] *aliquas* [illegible]
4) Ed. vol. III, praef. p. [illegible]

Maximi 87_2, quem constaret post Pisonianam coniurationem detectam in exilium esse missum[1]): itaque Seneca mortuo demum ut exsulem fuisse tutum ab imperatoris supplicio. Senecae igitur edenti Maximi nomen fuisse delendum, minus ei, qui post scriptoris mortem periculo illi iam non imminente edendas curasset epistulas. Lucilium vero putat, cum Romae non esset sed in Sicilia, in coniurationis Pisonianae suspicionem incidere vix potuisse, postea eo usum esse otio, quo tutus videretur.

Ego vero censeo primum indicem illum lacunarum esse circumcidendum. Nam 64_1 nemo ut opinor desiderabit addi amicorum nomina, non magis quam 78_4[2]), et ampliores lacunas librariis potius imputaverim quam editoribus. Verba autem 42_5: *meministi, cum quando adfirmares esse in tua potestate* aperte sunt corrupta et sic fortasse sananda, ut scribamus: „*Meministi* ⟨*EUM*⟩ *cum quando adfirmares q. s.*". Tum idem amicus est intellegendus atque 42_1. Deinde 93_3. 115_2 vox „*ille*" trahenda est ad animi vocabulum, utroque loco in eo quod antecedit enuntiato occurrens. Quod vero Ionas[3]) et Bartsch[4]) eos quoque locos excluserunt, ubi Lucilii amicorum nomina[5]), ille etiam ubi philosophorum[6]) reticentur, non recte fecerunt. Nihil enim, si omnino metuendus erat Nero, eius puto interfuisse, huius an illius nominarentur amici, dummodo in his epistulis laudarentur, et si philosophi erant, considera, Senecam ipsum fuisse philosophum neque Neroni quosquam magis fuisse suspectos quam Stoicos.[7]) His igitur et reliquis locis desiderari aliquid libere confiteor. Sed quidni omnia illa nomina Seneca poterat omittere? Haase ipse concedit, futurum esse ut non satis valerent, quae protulit, ad sententiam suam probandam, si Maximi nomen esset deletum, quod Senecae ipsi fuisset delendum. At unde scit ille vir doctissimus hunc non eisdem de causis tutum esse visum atque Lucilium, cuius nomen omnibus epistulis est praemissum? Nonne alias epistulas ad eundem Maximum[8]) scripsit permultas?

1) Tac. A. XV 71: *At Caedicia uxor Scaevini et Caesennius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se tantum poena experti.*
2) *Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici.*
3) De ordine librorum L. Annaei Senecae philosophi. Berol. 1870 p. 67.
4) Zur Kritik der Briefe Senecas. (progr. gymn. Anclam. 1870) p. 6.
5) 11_1. 36_1. 112_1. 6) 58_8. 64_1.! 77_6.
7) Cfr. Tac. A. XIV 57: *Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta praeferre, assumpta etiam Stoicorum arrogantia sectaque, quae turbidos et negotiorum adpetentes faciat.* XVI 22: *Ista* — Stoicorum — *secta Tuberones et Favonios, veteri quoque rei publicae ingrata nomina, genuit. Ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterint, libertatem ipsam adgredientur.* 27: *Etenim quid mirum e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique adepti consulatum et sacerdotia hortorum potius amoenitati inservirent?* Adde quod Demetrius Cynicus, quem passim laudat Seneca (20_9. 62_3. 67_{14}. 91_{19} etc.) tantum afuit ut revera tutus esset ab imperatorum odio, ut anno 71 a Vespasiano exsilio puniretur. cfr. Dio 66_{13}.
8) cfr. Mart. epigr. VII 45: *Facundi Senecae potens amicus Caro*

Quodsi vero Haase contendit, non nominari praeter hos nisi aut mortuos aut non cives Romanos, recte iam monuit Ionas[1]) occurrere Marulli nomen[2]) et Aebutii Liberalis Lugdunensis[3]), quibus Bartsch[4]) consulto omittens Gallionem scriptoris fratrem addidit Claranum[5]) et Marcellinum[6]), quos etsi nemo potest demonstrare Senecae fuisse superstites, tamen contrarium quoque probari nequit. Hi si inter vivos tunc erant, non minus Senecae ipsi tuti poterant videri quam eius amicis.

Sequitur ut alia sit causa, cur nomina occurrant tam pauca atque adeo interdum desiderentur, neque hoc argumento Haase mihi probavit epistulas post philosophi mortem esse editas. Sed ne illud quidem inde efficitur Senecam eas edidisse. Nam longe alii sunt loci, quos Ionas[7]) attulit ut demonstraret, ex consuetudine scriptoris in ceteris quoque eius libris conspicua accidisse ut nomina omitterentur, ideoque epistulas quoque ab eo esse editas. Ego certe illis locis nihil desidero. Sed cogita, similia atque reperimus apud Senecam occurrere etiam in Ciceronis ad Atticum epistulis.[8]) Talia quin Ciceroni ipsi sint imputanda, vix est qui dubitet, etiam si non subinde causam ostenderet, nimirum timere se ne a pluribus, quae ad amicum scripsisset, legerentur.[9]) Alia ideo magis tanguntur quam exponuntur, cum notissima sint amico. Tamen Ciceronis epistulas non ab ipso esse editas Cornelii Nepotis constat testimonio.[10]) Contra C. Plinius

---

proximus aut prior Sereno hic est Maximus ille, quem frequenti felix littera pagina salutat.

1) l. l. p. 66. 2) ep. 99_1. 3) ep. 91_1. $_3$. $_{13}$. 4) l. l. p. 5.
5) ep. 66_1. 6) ep. 29_1.

7) l. l. p. 66. 67. Dial. XII, Cons. ad Helv. 2_4: *amisisti matrem . . . crevisti sub noverca, . . . avunculum indulgentissimum amisisti.* $_5$. . . *filium meum.* 18_1: *respice fratres meos.* $_6$. *quicquid matri dolendum fuit, in me transierit, quicquid aviae in me.* $_7$. *abstulit illi nuper fortuna matrem.* 19_1: *Maximum adhuc solatium tuum tacueram, sororem tuam.* $_4$. *carissimum virum amiserat, avunculum nostrum.* N. Q. VI 8_3: *Ego quidem centuriones duos, quos Nero Caesar . . . miserat, audivi narrantes.*

8) I 13_4: *Tuus autem ille amicus — scin quem dicam? — de quo tu ad me scripsisti.* 16_1: *cum enim ille ad contiones confugisset.* VII 2_8: *— nam de altero illo minus sum admiratus, operario homine; sed tamen ne illo quidem quicquam improbius —.* XI 1_2: *credens ei, cui tu scis iam pridem minime me credere.* 2_2: *te obtestor ut totam rem suscipias et illam miseram mea culpa et neglegentia tueare meis opibus.* 3_1: *Quid hic agatur scire poteris ex eo, qui litteras attulit.* ibid.: *quare, ut alia, sic hoc vel maxime tuae fidei benevolentiaeque permitto et illius consilio et voluntati, cui miserae consuluissem melius, si q. s.* $_3$: *is quoque in angustiis est, quicum sumus.* 13_1: *A Murenae liberto nihil adhuc acceperam litterarum.* $_4$: *itaque tum et a tuo vilico sumpsimus et ab aliis mutuati sumus. al.*

9) I 18_2: *Ac domesticarum quidem sollicitudinum aculeos omnis et scrupulos occultabo, neque ego huic epistulae atque ignoto tabellario committam.* IV 17_1: *neque enim eae sunt epistulae nostrae, quae si perlatae non sint, nihil ea res nos offensura sit, quae tantum habent mysteriorum, ut eas ne librariis quidem fere committamus.* XI 4_2: *Hactenus fuit quod caute a me scribi posset. vale.*

10) T. Pomponii Attici vita 16_3: *Ei rei sunt indicio praeter eos*

Caecilius Secundus ipse dicit, a se esse publicatas epistulas suas.[1]) Tamen etiam in his nonnulla nomina desiderantur.[2]) Ergo talibus argumentis nihil demonstratur de editore.

Illud potius est concludendum, ubi ita videmus aliquid deesse, ut desideretur, neque librariis ea culpa est imputanda, veras has esse epistulas privatas. Nam qui fictas conscribit, nullo negotio sic rem potest instituere, ut omnia sint plana atque concinna; qui vero privatas curat edendas, semper nonnulla inveniet mutanda et iam cum conscribit quaedam variis de causis adumbrat tantum et tangit. Non igitur erravit Lipsius, cum suspicatus est quasdam esse veras epistulas. Neque mirum tam pauca inveniri nomina, nam in plerisque, cum totae sint de philosophia, ne occasio quidem oblata erat loquendi de amicis.

Deinde Haase contendit[3]) Senecae epistulas omnino non plane paratas ad editionem esse relictas. Inveniri enim aliquot sententias rerum ordinem mirifice turbantes neque tamen tamquam spurias suspectas neque quae in alium locum facile possint transponi. Has igitur putat secundis curis esse adiectas a Seneca, ut se commonefaceret aliquid eo loco esse delendum aut corrigendum. Illum vero, qui post Senecae mortem libros edidisset, integra omnia recepisse. Quibus locis equidem non eandem vim tribuo, sed ne quis circumveniri se existimet accurate nobis singuli sunt tractandi. Nam egit quidem eisdem de locis iam Iulius Bartsch[4]), sed neque semper ei assentior, neque omnes, quos Haase ut secundis curis adiectos uncis rotundis inclusit est interpretatus, sed eos tantum transponendo et mutando studuit emendare, quos ille, quia maioris momenti esse putabat, ipse enumeravit p. V.

Iulius **Bartsch** igitur censuit ep. 13_4 verba („*Illud tibi praecipio, ne sis miser ante tempus, cum illa, quae velut imminentia expavisti, fortasse numquam ventura sint, certe non venerint*“) esse legenda ante §. 6: „*Illud praesta mihi, ut, quotiens q. s.*“. De eorum enim, quae fingimus nobis, malorum genere quodam iam illis verbis §. 4 agi. Hoc fieri vix posse antequam ea in genera essent divisa. Contra post ea, quae de Stoicorum lingua essent dicta ante illa verba ad-

---

libros, in quibus — Cicero — *de eo facit mentionem, qui in volgus sunt editi, sedecim volumina epistularum ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum.*

1) I_1: *Frequenter hortatus es ut epistulas, si quas paulo curatius scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi q. s.*

2) II 6_1 . . . *quemadmodum acciderit ut homo minime familiaris cenarem apud quendam q. s.* VI 17_1: *Indignatiunculam, quam in cuiusdam amici auditorio cepi q. s.* VII 26_1: *Nuper me cuiusdam amici languor admonuit q. s.* VIII 22_4: *Nuper quidam — sed melius coram; quamquam ne tunc quidem.* IX 12_1: *Castigabat quidam filium suum . . . huic ego iuvene digresso: q. s.* cfr. IX 21_1. 24_1. 26_1. 27_1.

3) praef. p. IV—VI. 4) l. l. p. 9—20.

dubitata, aptissime sequi malorum partitionem. Mihi vero necessarium videtur, verba addubitata eodem loco retineri, quo nunc leguntur. Necesse est enim Senecam, cum vocabulo *„ergo“* induceret triplicem partitionem, non de uno malorum genere antea esse locutum, sed de tribus. Primum est eorum, quae nos terrent, non premunt; dixerat scriptor: *„Plura sunt, Lucili, quae nos terrent, quam quae premunt, et saepius opinione quam re laboramus.“* Haec sunt praesentia, quae putantur mala, sed re vera non sunt. Si accuratius ea perscrutabimur, videbimus, plura mala esse opinata quam vera. At Stoici omnino nullum putabant malum nisi vitia. Addere igitur debebat Seneca se nunc *„non loqui Stoica lingua“*. Cum his verbis aptissime iunxit adhortationem, qua non idem postulat ab amico sed minus, haec fere praecipiens: „Sed fac ea, quae vulgo putantur et quae nos terrent re vera esse mala, tamen illud praestare potes, ne futura horreas, quorum duo sunt genera: alia certe venient, sed nondum venerunt, alia omnino non venient.“ Nullo loco haec adhortatio submissior aptius legitur, nisi postquam Seneca dixit: *„omittamus haec magna verba, sed, di boni, vera.“* *Ergo* tria sunt malorum genera quae perperam horremus, primum: *„quae nos magis torquent quam debent“ (= saepius opinione quam re laboramus).* deinde: *„quae nos ante torquent quam debent“ (= cum certe non venerint).* denique: *„quae nos torquent, cum omnino non debeant“ (= cum illa fortasse numquam ventura sint).* Itaque cum sententiarum ordo sit accurate servatus, nihil est neque transponendum neque eiciendum. Hoc etiam contra Schultessium[1]) disputatum esse volo, qui verba illa legenda esse censet ante §. 8.

14_8: *„Cum peteres Siciliam, traiecisti fretum. temerarius gubernator contempsit austri minas (ille est enim, qui Siculum pelagus exasperet et in vertices cogat).“*

77_2: *Solis enim* — Alexandrinis navibus — *licet siparum intendere, quod in alto omnes habent naves. (nulla enim res aeque adiuvat cursum quam summa pars veli: illinc maxime navis urgetur. itaque quotiens ventus increbruit maiorque est quam expedit, antenna submittitur: minus habet virium flatus ex humili.)“*

Concedo utraque verba, quae uncis Haase inclusit, non esse necessaria neque scripta videri ad Lucilium, qui et mare Siculum et nautarum mores expertus noverat. Ergo aut postea sunt adiecta, neque vero ut se commonefaceret Seneca aliquid ibi esse addendum, sed ut illarum rerum ignari quae dicerentur facilius intellegerent, sive ut hae epistulae privatae possent edi; aut omnino non verae epistulae sunt iudicandae. Cur illud potius censeam postea ostendam.[2])

19_1: *„Ita fac, oro atque obsecro. (quid enim habeo melius, quod amicum rogem, quam quod pro ipso rogaturus sum?) si potes, subduc*

---

1) De L. Annaei Senecae quaestionibus naturalibus et epistulis. Bonnae 1872. p. 42.

2) Cfr. infra de corp. I. et de corp. III. parte 2.

te istis occupationibus, si minus eripe.“ Haec cum legerem equidem non haesi. Nam si non id quaerimus quid debuerit dicere scriptor, sed quid senserit studemus intellegere, haec est eius sententia: „Iure peto a te — nam fas mihi est id rogare amicum, quod pro me ipso rogaturus sum — ut te subducas occupationibus.“ Significat igitur, se quoque otium esse rogaturum. Quod fortasse ideo Haasium offendit, quia omnes epistulas post Senecae secessum scriptas esse censebat. Sed ex his ipsis verbis intellegimus, ante secessum ep. 19 esse scriptam.

Similis est locus 34_1: *„intellego, quantum te ipse (nam turbam olim reliqueras) superieceris.“* Certe haec Seneca vix scripsit Lucilio Siciliae procuratore sed aut ante illius procurationem aut post eam. At suntne ideo addubitanda, quia non quadrant ad recentiorum coniecturas? Sententiarum ordinem non turbant.

51_1: *„Quomodo quisque potest, mi Lucili: tu istic habes Aetnam [illum nobilissimum Siciliae montem] (quem quare dixerit Messala unicum, sive Valgius, apud utrumque enim legi, non reperio, cum plurima loca evomant ignem, non tantum edita, quod crebrius evenit, videlicet quia ignis in altissimum effertur, sed etiam iacentia): nos utcumque possumus contenti sumus Baiis, quas postero die quam adtigeram reliqui, locum ob hoc devitandum, cum habeat quasdam naturales dotes, quia illum sibi celebrandum luxuria desumpsit.“*

Verba *„illum nobilissimum Siciliae montem“* cur prorsus Haase eiecerit, nullam idoneam invenio causam. Quae sequuntur secundis curis iudicat esse addita. At quid ibi sit supplendum praeter ea quae legimus non intellego. Fortasse minus necessaria videntur. Id concedo. Sed aliquid ad Aetnae vocabulum puto statim esse adiectum. Opponitur enim Aetna Baiis, de qua urbe ipsa quoque pluribus verbis agitur. At compositionis desideratur concinnitas. Recte. Sed multo durior fit structura illo enuntiato prorsus eiecto. Scriptoris illud est vitium, non editoris. Epistulae sunt. Rerum autem ordo non magis turbatur quam omnibus interpositionibus, quas saepius orationi Seneca infulsit.[1])

Eodem loco habeo duas alias interpositiones, quas Haase uncis rotundis inclusit: 78_{24}. *„nec in repositorio eius pectora avium (totas enim videre fastidium est) congesta ponentur: q. s.“* Suo loco hic Seneca explicat, cur dixerit *„avium pectora“*, non *„aves“*. Alibi[2]) quoque

1) 95_{42}: *Mullum ingentis formae — quare autem non pondus adicio et aliquorum gulam inrito? quatuor pondo et selibram fuisse aiebant* — $_{65}$: *Posidonius non tantum praeceptionem — nihil enim nos hoc verba uti prohibet* — ibid.: *his adiecit causarum inquisitionem, etymologiam, quam quare dicere nos non audeamus, cum grammatici, custodes Latini sermonis, suo iure ita adpellent, non video.* 122_{15}: *Pedonem Albinovanum narrantem audieramus — erat autem fabulator elegantissimus* — al. cfr. infra p. 609—10.

2) 110_{12}: *alia portenta luxuriae iam tota animalia fastidientis et certa membra ex singulis eligentis.*

reprehendit delicatorum hominum fastidium animalium singulas partes eligentium.

Altera reperitur 84_2: *„altera res contristabit, vires exhauriet (de stilo dico) q. s.“* Si tot aliae interclusiones putandae sunt primo impetu scriptae, hanc quoque feremus, aut omnes eiciemus. At loci similes se invicem defendunt.

Totam paragraphum 78_{11}: *„Sed molestum est . . . quod cupere desieris“* iam Haase[1]) cognovit transponendam esse post §. 21. Bartsch[2]) ostendit una cum ea transponenda esse verba quae antecedunt *„illud autem est . . . quantum necesse est“*. Nam his quoque sententiarum conexus interrumpitur. Non id demonstraverat antea Seneca animum posse vacare in morbis, sed morbi vim tempore leniri. Animi laetis cogitationibus vinci posse dolores ostendit §. 21. Itaque omnia illa non secundis curis sunt adiecta, sed librariorum vitio male posita.

78_{14}: *(„Deinde quod acerbum fuit, retulisse iucundum est: naturale est mali sui fine gaudere.“)* Non deesse posse hanc sententiam Bartsch[3]) ostendit. Addo eadem de causa necesse esse eam loco tradito retineri atque 13_4[4]) propter sequens vocabulum *„ergo“*. Dictum enim erat dolorem numquam tam esse gravem, quam creditur (§. 13). Stultissimum vero esse praeteritos dolores retractare. Naturale enim esse mali sui fine gaudere (§. 14). *„Ergo duo sunt circumcidenda: et futuri timor“:* nam quod timetur exiguum est; *„et veteris incommodi memoria“: nam quid iuvat miserum esse quia fueris?* Sed quid inde lucramur in ipsis doloribus? Addit Seneca: *„In ipsis positus difficultatibus dicat: forsan et haec olim meminisse iuvabit“ (= nam quod acerbum fuit, retulisse iucundum est).* Miram vero illam constructionem infinitivi perfecti removit Bartsch scribens: *quod acerbum fuit FERRE, tulisse iucundum est.*

Sed idem non tantum hanc unam sententiam in suspicionem vocavit, sed totam paragraphum. *(„Detrahendas . . . iuvabit.“)* Dicit ea rem longe aliam tractari atque in eiusdem partis paragraphis reliquis. Illis demonstrari, dolorem praesentem facile posse tolerari: hac agi de praeteritorum malorum memoria. At nonne eodem pertinet, quod Seneca ex eis, quae §. 14 exposuerat, §. 15 conclusit: *„in ipsis positus difficultatibus dicat: forsan et haec olim meminisse iuvabit.“*? Quae verba cum proxime antecedentibus artissime cohaerent. „Sed de futuri timore, qui subito inducitur §. 14, nihil antea est dictum.“ At cum ostenditur paragraphis antecedentibus, omnem dolorem esse levem, quorsum id spectat nisi ut etiam futuri doloris timor dematur? „Sed male coniuncta sunt et cum antecedentibus et cum sequentibus.“ Illud concedo: hoc non item. Falsum enim puto, quod Bartsch dicit, vocem *„illum“* in enuntiato sequenti: *„toto contra illum pugnet animo: vincetur, si cesserit, vincet, si se contra dolorem*

1) p. V. 2) p. 11. 12. 3) p. 13. 4) Cfr. supra p. 605—6.

suum intenderit" trahendam esse ad *„doloris"* vocabulum, quod legitur §. 13: *„levis est dolor", „levem illum, dum putas, facies".* Quod si verum esset, sine dubio Seneca non dixisset in altera enuntiati parte: *„si se contra dolorem suum intenderit"* sed: *„si se contra eum intenderit".* Diversi igitur sunt *„ille"* et *„dolor".* Restat ut *„ille"* sit *„timor futuri"* modo memoratus §. 14 *„et futuri timor q. s.".* Neque sensus obstat. Saepissime enim Seneca ostendit, ut futuri timorem vincamus, dolorem esse contemnendum. Timor et dolor cognati sunt. „Sed cum antecedentibus male haec sunt coniuncta." Ego quoque particulam quandam desidero, qua fiat transitus ad praeteritorum dolorum conquestiones; sed iam in antecedentibus haereo. Offendit me temporum mutatio in verbis: *„tam miser est quisque quam credidit."* Desidero utriusque verbi tempus praesens. Si vero emendabimus: *CREDIT* ex *CREDIDIT,* quid fiet duabus quae restant litteris? In eis latere puto particulam *„ITEM".* Tum omnia recte procedent. Hoc si mihi dabitis, negandum est, quod Bartsch est suspicatus, verba illa sumpta esse ex aliis litteris et adiecta ab amicis postquam hi libri essent editi.[1])

81_{11}: *„Hoc aliquis inter illa numerat, quae videmur inopinata omnibus dicere (παράδοξα Graeci vocant)."* Haec Haase postea addita esse censet. Sed si omnino talibus in rebus offendebat, cur hunc potissimum locum secundis curis putat adiectum, cum sexcenties similia occurrant apud eundem scriptorem adiecta, ut verba inusitata explicarentur[2]), ut praeteream Ciceronis philosophiae libros similibus interclusionibus refertos[3])?

1) Atque quoniam contra Bartschium pugnare coepi, aliud quoque statim expediam. Ille enim ut suam fulciret coniecturam operam dedit ut ostenderet alios quoque locos ex alienis epistulis ab amicis esse additos, velut 24_3 *„Nec diu exempla ... impetus magni".* Tria Bartsch (p. 15) affert argumenta; primum: idem iam dici verbis sequentibus *„contemptores eorum cita".* Verum est, sed repetenda erat illa sententia, quia scriptoris oratio interiecta longius erat evagata. Hoc quidni in eadem epistula potuit fieri? Deinde: interrumpi sententiarum conexum. At iubebatur Lucilius dolorem suum metiri et taxare, ut animum adversus eum confirmaret. Hoc ut faceret opus erat exemplis. *Neque diu ea colligenda esse* dicit Seneca, cum passim occurrant. Quae durissima ducantur, enumerat ut addat, qui viri ea sint aequo animo passi. Eorum priusquam ipsa nomina affert, iterum dicit non tam *quaerenda* ea esse quam *eligenda.* Ubi perturbetur rerum ordo equidem non video. Denique: verbis *„aut ingenia aut profectus aut impetus magni"* non intellegi posse homines, quorum facta deinde enumerentur. At si non ipsi homines attamen animorum virtutes eorum significantur. Ergo verba illa non sunt addubitanda. De tertio loco eiusdem generis (88_{12}) infra agam.

2) velut 82_{10}: *quod mortem inter indifferentia ponimus, quae ἀδιάφορα Graeci vocant.* 88_{20}: *quemadmodum prima illa, ut antiqui vocabant, litteratura.* 89_7: *Sapientia est quam Graeci σοφίαν vocant. Hoc verbo Romani quoque utebantur, sicut philosophia nunc quoque utuntur.* cfr. p. 607 adn. 1.

3) ut pauca eligam: Ac. Pr. II 17. 54. De Fin. III 33. 45. 55. de ND. I 50. 55. II 29. 47. 58. de Div. II 111. 142. Fat. 11 etc.

Similis est locus $87_{38.\,39}$: *„Ait autem Posidonius hoc sophisma ... sic ab Antipatro refelli: „Paupertas non per positionem dicitur, sed per detractionem (vel ut antiqui dixerunt per orbationem. Graeci* κατὰ στέρησιν *dicunt) q. s.“* Concedo neglectis his verbis sanum effici sensum. Sed etiam si ea retinemus. Habebat Seneca, cur ea adderet. *„Detractionis“* vocabulo sensit, quid intellegi vellet, non satis accurate significari. Id vero, quo antiqui utebantur, erat prorsus inusitatum. Quocirca addidit ipsam Graecam vocem, quam accurate se vertere posse diffidebat. „Sed non recte sunt posita inter Antipatri verba.“ Itaque accipe ea tamquam interclusionem.

Denique tertius eiusdem generis locus ab Haasio est defendendus 120_4: *„per analogian nostri intellectum et honestum et bonum iudicant. (Hoc verbum cum Latini grammatici civitate donaverint, ego damnandum non puto, puto*[1]*) in civitatem suam redigendum: utar ergo illo non tantum tamquam recepto, sed tamquam usitato.)“* His verbis Seneca se excusat, cur hoc potissimum utatur vocabulo. Quae excusationes non minus Senecae primis curis sunt abiudicandae, quam innumerabiles simillimae apud Ciceronem[2]) occurrentes, praesertim cum Sen. ep. 95_{65} Haase non addubitaverit.

81_{28}: *„(Nihil carius aestimamus quam beneficium, quamdiu petimus, nihil vilius, cum accepimus).“* Haec verba non esse uncis includenda recte Bartsch ostendit. Non enim interrogavisset Seneca, quid esset, quod oblivionem nobis acceptorum faceret *(quaeris, quid sit, quod oblivionem nobis acceptorum faciat),* nisi antea dixisset, homines eorum solere oblivisci. Sed etiam cum antecedentibus cohaeret illud enunciatum. Dixerat Seneca *„neminem gratum esse posse, nisi contempsisset, propter quae vulgus insaniret“.* Quae duo sunt. Primum, quae praestanda sunt a gratis, intolerabilia iudicamus et nimia pro acceptis *(si referre vis gratiam, et in exilium eundum est q. s.).* Accepta vero, antea tanto studio appetita, postea vilia ducimus maiora exspectantes beneficia. Grati essemus, si acceptis essemus contenti *(Nihil carius aestimamus q. s.).* Ergo et labores sunt contemnendi et quae petenda videntur nova beneficia, propter quae vulgus insanit.

88_4: *„Ad geometriam transeamus et ad musicen: nihil apud illas invenies, quod vetet timere, vetet cupere.“* Haec verba ubi nunc leguntur locum non habere nemo non concedet. Neque video ubi aptius sint ponenda. Nam de musico et de geometra non uno capite loquitur scriptor, sed duobus, et bis ad aliam rem se transire iam significat: §. 9. *„Ad musicum transeo.“* §. 10. *„Metiri me geometres docet.“* Tamen Bartsch[3]) ante §. 9 ea infulsit eiectis verbis *„Ad musicum transeo“* et contendit de musico et de geometra uno capite esse actum.

---

1) Secutus sum in verbis transcribendis Franciscum Buecheler „Senecae epistulae aliquot Bonnae 1879“.

2) Cfr. De ND. I 44. 109. II 91. de Div. II 11. 108. Fat. 1 etc.

3) l. l. p. 15—19.

Quod postquam sibi sumpsit, alia quoque permulta mutat. Dicit §. 12 alienam esse a proximarum paragraphorum argumento, ab amicis igitur additam ex aliis litteris. Antecedentibus enim demonstrari, geometria mores non emendari; hac pugnari contra adversarium longe alium, querentem se esse expulsum ex avito patrimonio. At nonne haec optime cohaerent? Dicit scriptor: non id esse docendum, quod praestet geometres, quomodo nihil perdam ex finibus meis, sed quomodo totos hilaris amittam. Hoc ipsum quod desiderat, docet §. 12. Monet nos ut cogitemus non nostra esse quae possidemus sed publica. Tum regreditur ad geometriam clamans: *„O egregiam artem!"*. Bartsch vero, eiecta §. 12 in eo offendit, quod §. 11 Seneca de adversario loquitur tertia persona *(Docet, quomodo nihil perdam)*, §. 13 subito secunda *(scis rotunda metiri)*. Sed iam illic putat geometram non posse intellegi, cum nimio spatio id vocabulum absit. Itaque, ut concinnior fiat oratio, semper ponit secundam personam in §§. 10 et 11, quam iam invenit in §. 9, et *„geometrae"* vocabulum delet, ea quoque de causa ei molestum, quia de utroque, et geometra et musico, simul esse actum censet et aliam iam recepit introductionem. Quod nescio an nemo concedat. Sententiarum conexum non interrumpi §. 12 iam dixi. Qua interiecta personarum mutatio nihil habet incommodi. Deinde si *„geometrae"* vocabulum retinebimus, quis alio trahet *„docendi"* verbum in §. 11 obvium, praesertim cum ter repetitum legamus in §§. 10. 11: *„Metiri me geometres docet potius quam doceat q. s."* — *„numerare docet me ... potius, quam doceat q. s."* — *„docet quomodo nihil perdam ex finibus meis: at ego doceri volo q. s."* Quae cum ita sint, nihil in §§. 9—12 est mutandum, neque omnino verba a Bartschio transposita in hunc quadrant contextum. Semper enim non artes a scriptore enumerantur sed artifices.[1]) Haec turbaretur concinnitas, si semel artis nomina introducerentur *(„ad geometriam transeamus et ad musicen")*. Itaque multo simplicius videtur nulla alia re mutata priora illa verba omnino delere. Sed unde in contextum irrepserunt? A Seneca vix addita sunt, ut se alicuius rei commonefaceret, nam quod eis adumbratur ab ipso fusius enarratur. Reprehenditur §§. 9—13 in musico, quod non doceat flebiles voces comprimere, in geometra, quod non doceat paucis esse contentum. Idem paucis dicitur verbis illis suspectis. Sunt igitur ab excerptore quodam, quos multos habuisse Senecam constat, in margine adscripta, deinde librariorum errore in contextum recepta. Illud vero recte cognovit Bartsch, verba: *„quisquis haec ignorat,*

1) Cfr. §. 3. *Grammaticus circae curam sermonis versatur.* §. 9. *Ad musicum transeo.* §. 10. *Metiri me geometres docet.* §. 14. *Venio nunc ad illum qui caelestium notitia gloriatur.* §. 18. *non enim adducor ut in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis quam statuarios aut marmorarios aut ceteros luxuriae ministros. aeque luctatores et totam oleo ac luto constantem scientiam expello ex his studiis liberalibus.*

alia frustra scit" cum proxime antecedentibus esse coniungenda. Sunt igitur ipsa quoque Senecae abiudicanda.[1])

95_{36}. *„Unde ista tam rapacia virtutis ingenia vel ex se fertilia?"* Hunc locum lenissima emendatione iam Bartsch[2]) sanavit iubens pro *UNDE* scribi *INDE.* cfr. §. 16.

Verba 104_{27} librariorum vitio corrupta sunt, non additis quibusdam a Seneca. Bartsch[3]) ea iam studuit emendare. Fortasse codicum vestigia paulo magis quam ille prementes item sanum accipiemus sensum, si scripserimus: *„Si tamen exemplum desideratis, accipite Socraten, perpessicium senem, per omnia aspera iactatum, invictum tamen et paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant, et laboribus, quos militares quoque pertulit. Quibus ille domi exercitus, sive uxorem eius ⟨SPECTES⟩ moribus feram, lingua petulantem, sive*

---

1) Nescio an eiusdem generis sit 78_{12} *„Tolerabilis est morbi patientia, si contempseris id, quod extremum minatur"*. Ubi nunc hic locus exstat, interrumpit sententiarum conexum, neque quidquam simile ibi erat addendum. Ergo non secundis curis est scriptus a Seneca. Bartsch (p. 12) ante §. 6 eum ponit, quia ibi explicatur, nihil fore triste cum mortis metum effugerimus. Ipse tamen concedit, lacunam ante §. 6 non sentiri a legentibus. Itaque mihi quidem illa quoque verba videntur deberi excerptori. Qua de re eo minus dubito, quia alibi magis elucet idem accidisse, velut ep. 66_{32}. Legimus in codicibus *„Ratio rationi par est sicut rectum recto: ergo et virtus non aliud quam recta ratio est"* vel (p) *„ergo et virtus rationes sunt"*. Haec quid sibi velint, difficile est intellectu. Sed simile quid eisdem fere verbis dicitur a Seneca ipso, sed eis quae facilius intelleguntur: *„Omnes virtutes rationes sunt: rationes sunt rectae: si rectae sunt et pares sunt."* Aptissime haec cum antecedentibus ante verba illa suspecta coniunguntur, quibus ostenderat, rationem esse immutabilem. Censeo igitur illa, quae conexum turbant, ut excerptoris commenta esse e medio tollenda.

Item 76_{10}: *„Quid in homine proprium? ratio. haec recta et consummata felicitatem hominis implevit."* His turbari rerum ordinem facile cognoscis. Accedit quod idem dicitur atque §. 9: *„In homine optimum quid est? ratio. hac antecedit animalia, deos sequitur."* Ex quo efficitur illa esse spuria.

Ep. 82_{2}: Interrogatio *„quid ergo? viro non vel obrigescere satius est?"* nullo modo ferri potest in media enumeratione ante *„deinde"*. Quid quod nihil aliud continet nisi quod scriptoris ipsius verba §. 3: *„Quid ergo? inquis, non satius est vel sic iacere quam in istis officiorum verticibus volutari?"*

Ep. 91_{9}: *„Consurgamus itaque adversus fortuita et quicquid inciderit, sciamus non esse tam magnum, quam rumore iactetur."* Haec male esse posita quicumque totum legerit contextum cognoscet, neque ullum locum inveni, ubi rectius ponerentur, nisi in fine, cum alterius epistulae partis continerent summam, praesertim §§. 19—21. Sed rectius omnino excluduntur.

Denique 95_{5} *„Deinde etiamsi recte faciunt, nesciunt facere se recte."* Ea, quae sequuntur, non ad illa spectant, quae supra transcripsi, sed ad ea quae antecedunt. Illa igitur, quae ordinem turbant, potius referenda sunt ad §. 39: *„Putemus aliquem facere, quod oportet, non faciet adsidue, non faciet aequaliter et q. s."* Inde videntur esse excerpta et nescio quo casu huc delata. Sed de verbis interpolatis satis dictum est.

2) l. l. p. 9 adn. 1. 3) ibid.

liberos indociles et matri quam patri similiores, SEMPER fere aut in bello fuit aut in tyrannide aut in libertate bellis ac tyrannis saeviore!"

Denique 122_{11} „*Recitabat Montanus Iulius carmen, tolerabilis poeta et amicitia Tiberii notus et frigore. ortus et occasus libentissime inserebat. (itaque cum indignaretur quidam illum toto die recitasse et negaret accedendum ad recitationes eius, Natta Pinarius ait: „numquam possum liberalius agere: paratus sum illum audire ab ortu ad occasum".) Cum hos versus recitasset q. s.*" Eis verbis, quos uncis inclusit Haase testimonium attulit Seneca, quo demonstraret, quod antea dixerat, verum esse, ortus et occasus a Montano libentissime inseri. Si vero duo haec enuntiata cohaerent neque sunt divellenda, omnia sunt servanda. Nam si omnia omittentur, narrationem quae sequitur non intellegemus.[1])

Nunc si circumspicimus, quid ex hac disputatione didicerimus, illud est tenendum: nihil a Seneca secundis curis adnotatum perperam in contextum irrepsisse, sed ab ipso nonnullis locis aliquid esse additum, ut quae ad amicum scripserat etiam a pluribus legentibus possent intellegi.[2]) Alia debemus excerptoribus.[3]) Quod si recte exposui, collabitur Haasii ratiocinatio, qua conclusit, epistulas non a Seneca esse editas, etsi ne contrarium quidem adhuc est demonstratum.

De eo vero Haase omnino non dubitavit, quin epistularum ordo recte esset servatus, nisi quod ep. 75 iudicavit perperam esse positam.[4]) Argumenta afferre supersedit.

Quid de tempore, quo essent scriptae, arbitraretur, ne dixit quidem. Tamen id non erat omittendum. Nam si quis demonstraret, iam multo ante Senecae mortem totum corpus fuisse absolutum, nonne veri esset simillimum, non post eius mortem demum id esse editum? Sed de Haasii argumentis hactenus. Nunc age transeamus ad alios scriptores. De quibus in universum hoc dicendum est: Omnes, quos novi, tamquam Epicurei magistrorum placita amplexi sunt hanc sententiam: omnes quae exstant veras esse epistulas et temporis ordinem esse servatum. Inde igitur progredientes id agunt, ut investigent, quo tempore singulae sint scriptae et omnes editae.

---

1) Alium locum non tam Haase quam Bartsch, illius adversarius (p. 19) in dubitationem vocavit, 17_{10}. In eo enim offendit quod verbis: „*haec ad alios pertinent*" Lucilius a ceteris distinguitur. Quam inurbanitatem negat a Seneca potuisse committi. Sed eis eiectis sentit, sententiarum conexum interrumpi. Putat igitur ea esse addita, postquam quae sequerentur locum suum mutavissent. Legenda enim esse post §. 8: „*unde enim scis an nimis habeas?*" haec: „*tu locupletibus propior es et q. s.*" At ego confiteor illam distinctionem mihi non esse molestam, itaque nihil transponam.

2) 14_8. 77_2. cfr. p. 606.

3) 66_{32}. 76_{10}. 78_{12}. 82_2. 88_4. 91_9. 95_5. cfr. p. 612 adn. 1.

4) p. VI.

Primus hoc conatus est **H. Lehmann** [1]), qui illud quoque ab Haasio recepit, editas esse epistulas post Senecae mortem. Atque rectissime cognovit ep. 8, ubi Seneca otii sui faceret mentionem [2]), in quod se recepit anno 62, non ante illum annum potuisse scribi. Deinde cum legeret ep. 91 descriptum incendium Lugduni factum anno 64/65 [3]) per hos tres annos 62—65 omnes distribuit epistulas secundum anni temporum factam mentionem. Scriptae ergo sunt ex Lehmanni computatione:

1—18 ante Decembrem a. 62. (18_1 *December est mensis.*)

19—23 ante ver a. 63. (23_1 *Putas me tibi scripturum ... quam malignum ver sit.*)

24—67 ante ver a. 64. (67_1 *Ver aperire se coepit.*)

68—86 ante Iunium a. 64. (86_{16} *Iunius mensis est.*)

87—122 ante Octobrem a. 64. (122_1 *Detrimentum iam dies sensit.*)

123 et 124 inter Octobrem a. 64 et Aprilem a. 65, quo mense mortuus est Seneca. [4]) Licebat Lehmanno uti his testimoniis, si antea aliis argumentis probavisset, temporis ordinem esse servatum. Anni enim ipsi numquam illis locis nominantur. Tamen idem conatur demonstrare nonnumquam temporis ordinem esse corruptum. Non igitur certa via atque ratione progressus est. De re ipsa nolo nunc iam sententiam ferre. Certe eis, quae Lehmannus attulit, exemplis nihil demonstratur.

Suspicatur enim ep. 14 scriptam esse post Christianorum vexationes institutas a Nerone anno 64. Nam Senecae verbis 14_5 [5]) vehementer admonitus est Taciti narrationis A. XV. 44. [6]) Quod

---

1) Philologus VIII p. 327—8. Claudius u. Nero I 1858 p. 16—17.

2) ep. 8_2: *Secessi non tantum ab hominibus, sed a rebus, et inprimis a rebus meis.*

3) Cfr. infra p. 618—9.

4) Cfr. supra p. 602 adn. 2.

5) *ingens alterius mali pompa est. ferrum circa se et ignes habet et catenas et turbam ferarum, quam in viscera inmittat humana. Cogita hoc loco carcerem et cruces et eculeos et uncum et adactum per medium hominem, qui per os emergeret, stipitem et distracta in diversum actis curribus membra, illam tunicam alimentis ignium et inlitam et textam, et quicquid aliud praeter haec commenta saevitia est.*

6) Legimus in codice Mediceo II: „*Pereuntibus addita ludibria ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent aut crucibus affixi aut flammandi atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.*" Haec verba non recte esse tradita iam complures cognoverunt et emendare sunt conati. Atque in eo potissimum offenderunt, quod verbis: „*aut crucibus affixi aut flammandi*" nulla describuntur ludibria. Ceterorum coniecturas nuperrime collegit et refutavit Franclinus Arnold (Die Neronische Christenverfolgung, Leipzig 1888 p. 7—11). Sed ne ea quidem, quam ipse proposuit scribens: „*aut crucibus affixi sunt flammandi utque ubi defecisset dies q. s.*" satis mihi placet propter structurae miram quandam inconcinnitatem. Inspicienti vero Sulpicii Severi verba (Chron. II. 29): *multi crucibus affixi aut flamma usti*" leniore emendatione videbatur mihi esse scribendum: „*aut FLAMMA, IDQUE ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.*" (De usu vocabuli

argumentum Ionas[1]) nullis allatis causis levius esse iudicat, quam ex quo vulgaris epistularum ordo in suspicionem vocandus sit, Schultess[2]) dicit a Iona et Martensio satis esse refutatum. Martens[3]) vero haec opposuerat: epistulas 1—29 ita cohaerere, ut discerpi non possent, addita catena sententiarum magnificarum. E quibus cum nonnullae scriptae essent Lucilio procuratore Siciliae, omnes illo tempore esse compositas. Putabat vero Lucilium deposuisse procurationis munus anno 62, itaque nullam ex epistulis 1—29 scribi potuisse post annum 62. Apparet, si quis demonstret, Senecam aliis quoque temporibus extra ordinem aurea illa stipe implevisse amicum[4]) aut anno 64 quoque hunc fuisse procuratorem, fore ut tota haec argumentatio corruat. Certe Martens, quod sibi sumpsit, non demonstravit. Postea enim ostendam, non idoneis argumentis procurationis tempus ab eo esse circumscriptum. Itaque multo magis me movit, quod idem affert, vix Senecam talibus opprobriis offensurum fuisse Neronem. Sed ne hoc quidem satis valeret, si quis demonstraret supplicia illa a Nerone demum anno 64 esse inventa. Quod verum esse nego. Nam alibi quoque eisdem fere verbis Seneca non tam unius imperatoris quam omnium aequalium castigat crudeles animos voluptatem captantium e gladiatorum pugnis et ex accusatorum damnatorumque tormentis, ubi ferro et igni res geratur. 7_4: *Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis obiciuntur. Interfectores interfecturis iubent obici et victorem in aliam detinent caedem: exitus pugnantium mors est. Ferro et igni res geritur.* 24_{14}: *quid mihi gladios et ignes ostendis et turbam carnificum circa te frementem?* 78_{19}: *plus est flamma et eculeus et lamina et vulneribus ipsis intumescentibus quod illa renovaret et altius urgeret impressum (ferrum).* Omnes illi loci inter se sunt simillimi, quocirca si unus ille locus 14_5 referendus esset ad Christianorum vexationes, omnes quoque alii ad eas spectarent et iudicandi essent scripti post annum 64. Sed eandem crudelitatem eademque tormenta describit Seneca iam in dialogo V (De ira III 3_6) cui cum nomen praemisisset Novati fratris nondum a Gallione adoptati[5]), compositus est antequam Nero imperium adeptus

„idque“ cfr. Tac. A. XIII 45: *rarus in publicum egressus, idque velata parte oris.* Cic. de off. I 1: *Quamquam te, Marci fili, annum iam audientem Cratippum idque Athenis.* epp. ad. fam. X 14_2: *equidem exspectabam iam tuas litteras, idque cum multis.*) Quod si recipimus, duo adhibita sunt supplicia minime nova: Aut canibus proiecti sunt Christiani, aut flamma usti, sed utrique additum est ludibrium, ut illi laniarentur aut ferarum tergis contecti aut crucibus affixi, hi flamma urerentur in usum nocturni luminis. cfr. Zeitschr. f. wissensch. Theol. XXXIII 1890 p. 219 adn. 3. Quod vero l. l. Sulpicius Severus narrat *novas mortes esse excogitatas,* nihil aliud tradit, sed ludibria illa respicit.

1) l. l. p. 36. 2) l. l. p. 36.

3) De L. Annaei Senecae vita et q. s. Altonae 1870 p. 52—3.

4) cfr. ep. $30_{14.16}$. 36_8. 44_4. 52_3. 97_{13} al.

5) cfr. acta App. 18_{12}.

est. Denique ferri ignisque tormenta iam Caligula regnante in insontes esse adhibita disertis verbis Seneca tradit NQ IV praef. 17: *Videbam apud Caium tormenta, videbam ignes q. s.* Hic vero locus cum Caii exhibeat nomen referendus est ad legis Iuliae maiestatis abusum, quam postquam viguit Augusto [1]) Tiberio [2]) Caligula [3]) regnantibus scimus a Claudio [4]) esse repressam, revocatam demum a Nerone [5]) anno 62. Quo efficitur, etiamsi ad Neronem Senecae verba pertinerent, tamen non necesse esse ad Christianos ea referri. Illius enim legis, latae anno 46 a. Chr. n. [6]), reis Paulus iuris consultus tradit [7]) antea solitum esse aqua et igni interdici, postea humiliores bestiis esse obiectos vel vivos exustos, honestiores capite punitos. Illud accidisse liberae rei publicae temporibus Cicero [8]) auctor est, Augusto regnante Cassius Dio [9]), imperatoribus ceteris regnantibus, certe sub Tiberio honestiores capite esse damnatos, velut Cremutium Cordum, legimus apud Dionem et Tacitum. [10]) At quo tempore honestiores capite puniebantur, ex lege Iulia humiliores bestiis obiciebantur vel vivi exurebantur, neque ulla dignitas a tormentis excipiebatur. Notissimum autem est, quanta levitate quantaque saevitia imperatores priores illa lege sint abusi. Talia igitur suo iure Seneca videtur iam in illis reprehendisse.

Sed ne ulla remaneat dubitatio: neque Suetonius [11]) neque Tacitus [12]) tradit tanta crudelitate primos vexatos esse Christianos. Non refert hic, nova fuisse supplicia illa per ignem et bestias petita, sed novum fuisse pereuntibus addi ludibria, quod ex ipso *„addendi“* vocabulo satis elucet. Non nunc contendo lege maiestatis punitos esse Christianos [13]), sed easdem poenas iam pridem esse petitas ab illius legis reis. Ergo apparet novo supplicii genere usum esse Neronem non cum iuberet ferro ignique rem geri aut canibus proici Christianos, sed cum iuberet ferarum tergis eos contectos laniari aut in usum nocturni luminis incendi. De talibus ludibriis cogitat Clemens Romanus Domitiano imperatore sanctorum describens martyria [14]) et

---

1) Dio 56, $27_{1 . 2}$. Tac. A. I 72. 2) Tac. A. I 72.
3) Suet., Cal. 27. Dio 59, 4_3. 22_5. 4) Dio 60, 3_6.
5) Tac. A. XIV 48. Suet. Ner. 32.
6) cfr. Madvig, Die Verfassung und Verwaltung des Römischen Staates, Lipsiae 1882, II p. 275.
7) cfr. lib. V sent. tit. 29: *„His antea in perpetuum aqua et igni interdicebatur; nunc vero humiliores bestiis obiciuntur vel vivi exuruntur, honestiores capite puniuntur . . . nulla dignitas a tormentis excipitur.“*
8) Phil. I 23. 9) 56, 27_{12}. 10) Dio 57, 24. Tac. A. IV 34. 35.
11) qui de Christianorum suppliciis nihil dicit nisi (Ner. 16): *afflicti suppliciis Christiani.* 12) cfr. supra p. 614 adn. 6.
13) cfr. Arnold, Die Neronische Christenverfolgung p. 73.
14) ad Cor. I 6. διὰ ζῆλον διωχθεῖcαι γυναῖκες Δαναΐδες καὶ Δίρκαι αἰκίcματα δεινὰ καὶ ἀνόcια παθοῦcαι ἐπὶ τὸν τῆc πίcτεωc βέβαιον δρόμον κατήντηcαν καὶ ἔλαβον γέρας γενναῖον αἱ ἀcθενεῖc τῷ cώματι. De tempore vide: Clementis Romani epistulae, ed. A. Hilgenfeld, ed. II. Lipsiae 1876, prol. p. 37—38.

Sulpicius Severus [1]), minime vero Seneca ep. 14_5. Tunicae enim illae „*alimentis ignium et inlitae et textae*“ ut urerentur eis induti homines longe diversae sunt a ferarum tergis, quibus Tacitus narrat Christianos contectos canibus esse proiectos ut lacerarentur. Si vero ulla Senecae verba huc videntur esse trahenda, ea sunt, quibus conqueritur, iam per lusum et iocum trucidari homines. Sed ea in extrema tantum epistularum parte leguntur. [2])

Porro Lehmannus in eo offendit, quod epp. 49 et 70, quae ex ipsius computatione scriptae esse debent vere anni 64, Seneca bis narrat Pompeios se venisse, motus terrarum facti Non. Febr. a. 63 [3]) nullo verbo ratione habita. Putat igitur has scriptas esse ante Non. Febr. a. 63 neque iusto loco esse positas. Cum hoc Martens [4]) consentit. Sed utrique iam Schultess [5]) recte opposuit, e scriptorum silentio talia colligere semper periculosae aleae esse, praeterea in ea, quae N.Q. libri sexti initium occupat epistula satis multa iam de illo tremore esse dicta. Neque ego video, cur in quaque epistula ubi Pompeios uno verbo attigerit, cladem eius oppidi Seneca denuo narrare debuerit. Accedit quod in NQionibus aperte auget illam cladem. Non enim tota urbs erat collapsa. [6]) Ergo si fortasse Lucilii villa prope Pompeios sita manserat incolumis, multo minus erat necessarium semper de illa clade loqui. Non igitur illis argumentis efficitur neque epp. 49 et 70 scriptas esse ante a. 63 neque ep. 14 post a. 64. Sed ne illud quidem refutatis duobus Lehmanni argumentis adhuc est demonstratum epistularum ordinem esse recte servatum.

---

1) Chron. II 29. cfr. supra p. 614 adn. 6.

2) 90_{45}: *Tantum aberat ut homo hominem non iratus, non timens, tantum spectaturus occideret.* 95_{33}: *homo, sacra res homini, iam per lusum ac iocum occiditur et quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat, is iam nudus inermisque producitur satisque spectaculi ex homine mors est.* cfr. Tac. A. XV 44 i. f. *unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur.*

3) N. Q. VI 1_2: *Nonis Februariis hic fuit motus Regulo et Verginio Consulibus.*

4) l. l. p. 52.

5) l. l. p. 32.

6) Tacitus nihil tradit nisi „*oppidum Pompeios magna ex parte proruisse.*“ (A. XV 22) et Seneca ipse ep. 91_1, quam statim demonstrabo anno 64 vel 65 esse scriptam, „*terrarum quoque, inquit, vix umquam tam gravis et perniciosus fuit motus, ut tota oppida everteret.*“ Neque ubi motus terrarum (§. 9) enumerat sua memoria factos Pompeiorum aut Neapolis facit mentionem. Qui vero tantam vim tribuit testimoniis e scriptoris silentio petitis, is credat necesse est non tantum eas quas dixi epistulas omnes 49. 70. 91 scriptas esse ante illam cladem, quod per ep. 91 fieri nequit, sed etiam eas his adnumeret, quibus Neapolim se venisse narrat Seneca, quippe quae eadem tempestate sit vexata. (N.Q. VI 1_2.) Laudat enim hanc urbem silentio praetermittens motum terrarum 53_1. 57_1 al.

Mirum in modum R. **Peiperus**[1]) Haasii probatis argumentis non dubitat, quin post Senecae mortem epistulae sint editae[2]), etsi idem arbitratur iam anno 58 totum corpus fuisse absolutum. In tempore autem definiendo secutus Fr. Ernestum Ruhkopf[3]) exordium facit ab ep. 91. Ibi Seneca narrata clade Lugdunensi dicit §. 14: *„huic coloniae ab origine sua centesimus annus est, aetas ne homini quidem extrema. A Planco enim deducta et q. s.“* Deductam vero esse coloniam Lugdunensem anno 711 a. u. c. tradit Dio.[4]) Ergo centesimus annus est 811us sive 58us post Christum natum. Quod adeo movit Peiperum, ut cum is quoque temporis ordinem censeat esse incorruptum, totum epistularum corpus putet compositum esse paucis mensibus ab autumno a. 57 usque ad finem a. 58. Unde in varias incidit difficultates. Tacitus enim tradit anno 65 Neronem *principem quadragies sestertio solatum esse cladem Lugdunensem.*[5]) Quae solatia cum solerent imperatores offerre cladibus recentibus, haec credenda est accidisse aut eodem anno aut anno 64. Nam errore Taciti falsum dictum esse annum vix est credibile, cum ex eius verbis ipsis *„quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant urbis casibus“* eluceat Lugdunum incendio esse vastatum post Urbis incendium.[6]) Credamus igitur necesse est aut errasse Senecam in computandis annis aut librariorum vitio excidisse post C numerum VII. Peiperus vero, Senecae verbis nimis fisus, contra Taciti testimonium demonstrare conatur[7]) a. 58 accidisse Lugduni cladem hisce usus argumentis: Primum non esse verisimile Neronem imperatorem alias liberalissimum tam parva pecunia solatum esse Lugdunenses, cum Bononiensem coloniam aeque adflictam centies sestertii largitione iuvandi auctor fuerit a. 53.[8]) Alterum igitur subsidium missum esse a Nerone a. 65; quanta pecunia a. 58 iuverit Lugdunenses nesciri. At cogita Romam ipsam a. 64 fuisse vastatam et magnis impensis restituendam.[9]) Illo tempore vix puto Neronem omnino liberaliorem esse potuisse, quam fuit Lugdunensium tributum iubens remitti.

Deinde: Vix fieri potuisse ut Lugdunenses adeo a Nerone posthabiti pertinaci pro eo fide pugnarent postea, quod tamen factum esse Tacitus prodat.[10]) At minime posthabuit Nero Lugdunenses, si ipse adeo pecunia egens satis liberalem se praestitit.

1) Praefationis in Senecae tragoedias nuper editas supplementum. (progr. gymn. Magdal. Wratislaviensis 1870) p. 14—17.

2) p. 15. 3) ed. vol. II praef. p. 8. 4) 46, 50$_{4.5}$.

5) A. XVI 13 i. f. *Eodem anno . . . cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent, quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant urbis casibus.*

6) Martens (p. 53 adn.) iterum e scriptoris silentio concludit ep. 91 ante Romae incendium esse scriptam. At fortasse certis de causis Seneca noluit recens illud vulnus tangere. Praeterea non id erat Urbis incendium *„ut nihil alteri superesset incendio“* (ep. 91$_1$).

7) p. 15. 8) Tac. A. XII 58. Suet. Ner. 7.

9) Tac. A. XV 45. 10) H. I 51.

Denique: Ne quis obiciat ex urbe a. 58 tota incendio absumpta vix potuisse iam anno 64 tantam pecuniam Neroni offerri, considerare nos iubet Peiperus, quam opportuno loco condita sit haec colonia mercatura artificiisque florens. At, interrogo, si re vera revaluit Lugdunum, quid opus erat tam sera munificientia cladem VIII annis priorem solari? Publica aedificia Peiperus arbitratur non iam fuisse refecta. Quod etsi in universum credimus satis causae fuisse iterum subsidio veniendi Lugdunensibus, illis temporibus non fuit, quibus Romae non tantum publica sed etiam privata aedificia incendio prorsus hausta reficienda erant.

Carolus Nipperdey[1]) eandem atque Peiperus secutus sententiam Taciti verba putat esse mutilata et sic supplenda, ut scribamus „*Cladem Lugdunensem* ⟨*qua ante octo annos ea urbs exusta erat*⟩ *quadragies q. s.*“. At tum etiam res gestas a. 58 narrans de hac clade loqui debuit itaque duae lacunae essent statuendae. Idem accidit eis, qui bis putant coloniam Lugdunensem incendio esse vastatam, annis 58 et 64/5. Quod etsi crederemus, tamen Senecae epistula non pertineret ad priorem cladem sed ad posteriorem, quoniam dicit *ubique tunc quievisse arma totoque orbe terrarum securitatem fuisse diffusam.*[2]) Anno enim 58, quod iam Ionas[3]) recte monuit, et in Armenia acerrime pugnabatur[4]) et in Germania bellum denuo exarserat.[5]) Contra bello Armeniaco confecto anno 63 et Tiridate Armeniae rege ut a Nerone reciperet diadema Romam profecto tanta erat in orbe terrarum pax atque quies, ut imperator Ianum geminum claudi iuberet.[6]) Ex quo efficitur ep. 91 scriptam esse anno 64 exeunte vel a. 65. Atque mihi videtur Seneca certum annorum numerum omnino noluisse constituere, sed eos complecti humanae vitae finibus, cuius extremum terminum alibi quoque nominat annum centesimum.[7])

Quo concesso tota collabitur Peiperi argumentatio, qui ab ea sententia progressus, ep. 91 scriptam esse anno 58, omnes alias circa idem tempus esse compositas conatus est demonstrare, ne cogeretur statuere ordinem esse perturbatum, neglegens ep. 8 non esse scriptam nisi anno 62.[8]) Si vero probaremus cetera illius argumenta, Lehmanni reliquorumque item corruerent computationes. At quae attulit Peiperus, ut ostenderet, quae in his libris leguntur non esse aliena ab illa aetate, aut ea sunt, quae aliis temporibus eodem iure vel multo aptius dici potuerint aut aperte falsa.

---

1) Tac. A. ed. Nipperdey, adn. ad h. l.
2) ep. 91_2. 3) l. l. p. 63. 4) Tac. A. XIII 34—41.
5) Tac. A. XIII 54. 6) Suet. Ner. 14.
7) ep. 74_{27}: *honestam vitam ex centum annorum numero in quantum voles corripe q. s.* dial. X de brev. vit. 3_2: *pervenisse te ad ultimum aetatis humanae videmus, centesimus tibi vel supra premitur annus.* cfr. Tac. dial. 17: *centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas.*
8) Cfr. supra p. 614 adn. 2.

Ep. 47, qua docetur Lucilius cum servis familiariter esse vivendum, admonet Peiperum eorum, quae Romae agitata refert Tacitus A. XIII 26. 27. 32. At capitibus 26 et 27 ille narrat „*actum esse in senatu de fraudibus*“ non servorum sed „*libertorum, efflagitatumque ut adversus male meritos revocandae libertatis ius patronis daretur*“, c. 32 tradit „*factum esse senatus consultum ultioni iuxta et securitati, ut si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent inter servos supplicia penderent*“. Uterque igitur locus pertinet ad libertos. Praeterea haec acta sunt non eo, quo Peiperus vult anno 811 (= 58 p. Chr. n.) sed a. 809 (= 56 p. Chr. n.) et a. 810 (= 57 p. Chr. n). Sed nonne humanitatem suadere poterat Seneca quocumque tempore?

Ep. 68, qua ostenditur otium non esse iactandum, Peiperus refert ad Cornelii Sullae causam actam anno 58.[1]) Sed eodem iure atque adeo meliore trahitur ad eiusdem caedem a. 62 perpetratam.[2]) Quamquam ipse non huius casus sed temporum iniquitatis puto rationem esse habitam.

Porro ep. 73, qua docet Seneca, qui philosophandi causa otio se darent non esse refractarios, non tam in memoriam mihi revocavit opprobria contra Thraseam[3]) iactata a. 58, quam quae contra Stoicos semper dici solebant: „*hanc sectam facere turbidos et negotiorum adpetentes.*“[4])

Deinde epistulas Baianas et Neapolitanas, 49—77, Peiperus[5]) contendit certe scriptas esse ante Agrippinae necem: Vix enim Senecam privato consilio tale deversorium sibi elegisse, quale Baias esse ipse narraret, Neronem autem fugisse hanc urbem postquam a. 59 matrem ibi occidi iussisset. Aperte autem describi Neronis luxuriam. At multo minus est credibile Nerone vivo eo audaciae simul et imprudentiae progressum esse Senecam, praesertim cum imperatoris gratia valeret, ut eius palam vituperaret mores. Deinde tanta etiam hominum privatorum ibi erat luxuria ut nihil obstet quominus credamus publicos mores, non unius esse intellegendos. Neque etiam si Nero sequentibus annis hanc urbem vitavisset, Senecam conscientia aeque inde deterrebat. Atqui ne vitavit quidem eam imperator. Nam quos Peiperus attulit locos, eis nihil traditur, nisi materna specie et Furiarum verberibus ubique exagitatum esse Neronem et statim post necem aliunde migrasse alio.[6]) Contra Tacitus disertis verbis narrat etiam postea eum *crebro in Pisonis villam Baianam ventitasse.*[7]) Tum ipse Seneca ep. 51_1 dicit, reliquisse se Baias postero die quam attigisset, cum cognovisset parum aptum esse hunc locum frugalitatem professo, 56_{15} narrat certo consilio se

1) Tac. A. XIII 47. 2) Tac. A. XIV 57. 3) Tac. A. XIII 49.
4) Cfr. supra p. 603 adn. 7. 5) p. 16.
6) Suet. Ner. 34. Stat. silv. II 7, 118. Dio 61, 14_4.
7) Tac. A. XV 52.

iterum hoc sibi elegisse vitiorum deversorium, ut animum exerceret, sed mox migraturum se esse ex illo loco, neque unquam tradit se eo revertisse. Cum vero gratia polleret apud Neronem iam monuit Schultess [1]) etiam maiorem ei fuisse facultatem commodum deversorium sibi eligendi. Adde quod haec omnia pertinent ad Baias, cur fugerit Seneca Neapolim omnino nulla apparet causa, neque demonstravit Peiperus, omnes illas epistulas Baiis aut Neapoli esse scriptas.

Tum Peiperus adnotat, nihil occurrere in philosophi epistulis, quod commotum gravius vel adeo turbatum auctoris animum rebus, quae a. 62 post Burri necem evenerunt, significet. Qua in re is tantum potest offendere, qui omnes epistulas credit esse privatas. Qui vero maiorem numerum putat fictarum et omnes a Seneca ipso editas, malet id tribuere cauto scriptoris animo, quo vitabat, quaecumque principis iram possent incitare.

Quod vero bis Parthi una cum Germanis appellantur [2]), nemo, ut opinor, Peipero concedet ea de causa temporis esse testimonium, quia a. 58 Frisii legati venerunt Romam [3]) eodemque anno bellum gerebatur contra Parthos. Nam per complures annos cum utroque populo pugnatum est a Romanis [4]) et utroque loco tertia additur natio. [5])

Denique si post Suilli accusationem Peiperus contendit Senecae epistulas scriptas esse, etiam huius otio possunt tribui.

Postremo quod negat Senecam Lucilio sempiternam gloriam sponsurum fuisse epistulis ad eum scriptis [6]), si destitutus fuisset omni potentia ac fractus viribus, levius iudico quam quod pluribus refellam.

Videtis nullum locum adhuc esse allatum, quo disertis verbis tempus aliquod scriptor indicaret alienum ab eis annis, quibus e vulgari sententia epistulae adscribuntur, a. 62—64 vel 65.

Fridericus **Ionas** [7]) Peiperi argumentatione reiecta sed etiam Lehmanni computationem aspernatus Lipsium putat rectius iudicasse intra biennium (a. 63 et 64) omnia XX volumina esse conscripta [8]), cum Seneca ipse in ep, 38 dicat frequentare se velle illud epistularum commercium cum Lucilio amico. Arbitratur igitur 18_1 significari decembrem anni 63, et 23_1 atque 67_1 scriptas esse vere unius anni 64. Idem ergo contra hunc dicendum est quod contra Lipsium diximus. [9]) Temporis ordinem Ionas quoque sumit esse incorruptum [10]), cum subinde in epistulis posterioribus scriptor respiciat ad antecedentes [11]),

1) l. l. p. 28. 2) 36_7. 124_{22}. 3) Tac. A. XIII 54.
4) Tac. Germ. 37.
5) veteres Romani et Scythi. 6) cfr. 21_5.
7) De ordine libr. L. Ann. Senecae philosophi. Berol. 1870 p. 61—71.
8) p. 65. 9) Cfr. supra p. 602. 10) p. 63—64.
11) 10_1 cfr. 9_{18}. 20_{13} cfr. 18_5. 26_1 cfr. 12_1. 33_1 cfr. 1—29. 75_9 cfr. 71_4. 77_5 cfr. 29_1. 87_{11} cfr. 85_1. 93_1 cfr. 76_4. 95_1 cfr. 94_{52}.

etsi idem non neglexit, nonnullas deesse epistulas[1]) et ep. 75 aperte turbari iustum ordinem. Quam vero falso putaret se satis demonstravisse a Seneca epistulas esse editas supra exposui.[2]) Illud quoque magis coniecit quam conclusit epp. 1—29 saltem non ab amicis demum esse publicatas iam propter scriptoris verba 33_1 collata cum 29_{10}. Nam per hoc argumentum etiam eiusdem corporis pars I. esse possunt epp. 1—29 et una cum reliquis editae.

Aliter quaestionem instituit Alfredus **Martens.**[3]) Primum enim computans, quanta intervalla exstitisse putanda essent inter singulas epistulas e Campania in Siciliam missas et remissas, conclusit non biennio vel triennio eas omnes scribi potuisse. Sumit igitur quinquennium. Deinde ut ostenderet ep. 1—69 scriptas esse ante a. 62, hac fere utitur[4]) collectione: „Anno 62 Lucilius Siciliae procurator est (N. Q. IV pr. 1). Ep. 70 scripta est ante Non. Febr. a. 63, nam de motu terrarum Campano nihil iam dicit Seneca. Ep. 69, quae illam antecedit, Lucilium non iam procuratorem esse Siciliae Seneca prodit.[5]) Ergo Lucilius fine a. 62 procurationis munus deposuit. Ex quo efficitur ep. 1—69 ante finem a. 62 scriptas esse."

At quanta fides esset habenda scriptoris de Campaniae tremore silentio iam vidimus.[6]) Quod si certum esse argumentum negamus, claudicat Martensii ratiocinatio. Adde quod temporis ordinem esse servatum et omnes veras esse epistulas sibi sumit[7]) non demonstrat. Sed ea ipsa de causa, quod ordinem turbatum esse negavit, in alias incidit difficultates. Cognovit enim ep. 7 scriptam esse ante Senecae secessum, ex ipsius computatione anno fere 60. Hanc ex eiusdem sententia statim secuta est ep. 8, in qua legimus (§. 2): *„Secessi, non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus et q. s."* Conatur igitur Martens nobis persuadere, Senecam, talia cum scriberet, non a re publica recessisse, sed magis quam antea se litteris dedisse. Quod certissime falsum est. Ep. 8 non scripta est nisi in otio, in quod se recepit Seneca anno 62.

Quid quod is, cuius tantum intererat demonstrare ordinem non esse corruptum, contrarium ipse confitetur se cognovisse? Ep. 50 enim arbitratur[8]) Senecam significare se esse adulescentem[9]); at aperte non de se loquitur, sed in certos quosdam ordines homines

1) cfr. 46_8. 48_1. 102_8. 110_2. 121_{18}.
2) Cfr. supra p. 604.
3) De L. Annaei Senecae vita et q. s. Altonae 1871 p. 49—61.
4) p. 52.
5) 69_2 *interrumpenda non est quies et vitae prioris oblivio.*
6) Cfr. supra p. 617. 7) p. 54. 8) p. 55. 56.
9) 50_3 *nos sine duce erramus et dicimus: non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romae potest vivere, non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas impensas exigit. non est meum vitium, quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitae: adulescentia haec facit. Quid nos decipimus? q. s.* $_7$: *malitia nos iam tenet.* cfr. Schultess l. l. p. 36.

distribuit vario modo se excusantes. Deinde verba (50_2) „*Harpasten uxoris meae fatuam scis hereditarium onus in domo mea remansisse*“ dicit non esse scripta nisi tempore inter primum alterumque Senecae matrimonium medio. Sed poterat Harpaste in ipsius uxoris domum, quae erat Senecae domus, iure hereditatis pervenire ibique remanere.

Externis igitur testimoniis et certis temporum indiciis praeter epp. 8 et 91 prorsus fere videmur esse orbati et ut vidimus nullum ex tam paucis vestigiis temporis ordini aperte repugnare praeter ep. 75 neque ab eo tempore esse alienum, quo plerique statuerunt hos libros scriptos esse, ita nullum tam certum allatum est argumentum, ut omni dubitatione abiecta illorum possimus amplecti sententiam. Una iam restat via, qua fortasse ultra progredi licet, ut sententiarum observemus conexum. Primus hoc fecit Martens[1]), etsi suam ipsius coniecturam eo labefactavit. Qui quod primo statim impetu rectum non videtur invenisse, puto posse condonari, cum via recta, quae sola iam reliqua est, ab eo sit aperta.

Cognovit enim ille in ep. 74, quae est de summo bono, omitti „*boni honestique*“ definitionem, quam cum inveniret in ep. 118_8, statuit ep. 118, a qua 120 propter argumentum non esset segreganda, scriptam esse ante 74 et 76, item artissimo vinculo cohaerentes. Significare igitur Senecam 74_1[2]) illas epistulas in memoriam sibi esse revocatas. Similia non nego evenisse: exemplum improbo. Nam ep. 74 potius mihi videtur incipere tota de bono honestoque disputatio, quam ep. 118. Atque quod saepius evenit primum aliquam rem tractare temptantibus, non erat omnibus numeris absoluta, sed magis continebat rei commendationem quam argumenta, qua de re conquestum esse Lucilium legimus ep. 76_7. In utraque vero Seneca non verbis operam dedit, sed rebus; non definitiones conquisivit, quas initio omnino aspernatus videtur esse[3]), sed ostendere conatus est, quantam vim haberet bonum et honestum ad vitam beatam efficiendam, et unde haec ei vis esset. Qui vero definitiones et similia quaeret, inveniet non tantum in epp. 118 et 120, sed etiam in reliquis eiusdem libri epistulis. Non ideo putandae sunt hae illas antecessisse. Immo, postquam longius est progressus scriptor, cognovit pusillas quoque res ei esse tractandas, qui totam philosophiam moralem vellet complecti et omnes ad eam pertinentes quaestiones explicare.[4]) Miratus vero sum hanc quaestionem tractari a Martensio neglectis epp. 66 et 70, quae sunt de eadem re. Sed de his infra agam. Mallem Martensii argumentationem non tam irrisam a Schultessio[5]) quam correctam. Nam quod hic omnino negat, ep. 74ae initio agi de rebus

1) l. l. p. 57 sqq.

2) *Epistula tua delectavit me et marcentem excitavit, memoriam quoque meam, quae iam mihi segnis ac lenta est, evocavit. Quidni tu, mi Lucili, maximum putes instrumentum beatae vitae hanc persuasionem, unum bonum esse, quod honestum est?*

3) ep. 20_5. 4) ep. 106_2. 5) l. l. p. 37.

ad philosophiam pertinentibus, non video quomodo aliter verba illa possit interpretari. Hoc tamen concedo, propter memoriae factam mentionem non statim cogitandum esse de epistulis iam scriptis, quo errore captus Martens arcessivit epp. 118 et 120. Puto significari a Seneca, philosophorum argumenta a se non satis memoria teneri. Atque etiam si verba illa referenda essent ad quaestiones in his libris iam tractatas, eodem iure referrentur ad epp. 66 et 70 quo ad 118 et 120. Sed utrumque fieri non posse infra ostendam. Nullius vero momenti est, quod Schultess affert, in ep. 76 Senecam significare se esse Neapoli, eaque de causa epp. 74 et 76 scriptas esse ex itinere per Campaniam facto a Seneca, cuius ultima vestigia reperiantur in ep. 86; illas vero 118 et 120 sententiarum conexu teneri inter extremas epistulas. Nam si aliis certis de causis epp. 74 et 76 essent posteriori tempori adscribendae, equidem non dubitarem quin Seneca iterum in Campania esset versatus, hoc ipso nisus testimonio. Quis edidisset epistulas Martens non quaesivit.

Fridericus **Schultess** ipse[1]) Lehmanni in primis secutus sententiam tempus eisdem atque ille terminis circumscribit. Omnes iustas esse epistulas sibi sumit et sicut Ionas[2]) contendit certe 1—29 ab ipso scriptore seorsum esse editas. Deinde ut ostenderet temporis ordinem esse servatum, repetitis eis, quae Ionas ea de re dixerat, Lehmanni etiam auget argumenta multis aliis investigatis anni temporum indiciis[3]), quibus nisus iudicat epp. 1—29 scriptas esse hieme anni 62/3, epp. 30—66 anno 63, epp. 67—124 anno 64.

Sed omnes hae computationes nescio an nihil valeant, si quis certis argumentis demonstraverit, aliquoties saltem temporis ordinem esse corruptum. Nam si semel vel bis hoc factum esse certo scimus, quidni saepius putemus idem accidisse, et quid expedit cognoscere, quo anni tempore scripta sit haec vel illa epistula, cum annus reticeatur? Contra suam ipsius igitur sententiam facit etiam Schultess, si docet aliquas epistulas tempus si respicis non suo loco esse positas. Atque eadem via qua Martens, quem iniuste vituperat, progressus, non tantum accuratius inquisivit argumenta epistularum inspiciens, quae non suo loco essent positae, sed transpositionis causas indagare

1) l. l. p. 26—43. 2) cfr. supra p. 622.

3) Haec fere enumerat p. 31 et 32: Ep. 28_1 iter Lucilii memoratur. Per id tempus rariores advenire poterant Senecae epistulae, quod Lucilius conquestus est 38_1. Ex ep. 48_1 alterum notum est Lucilii iter. Seneca ipse per Campaniam iter facit 49_1. Ad hoc optime quadrat quod Lucilii epistula post multos demum menses Senecae est reddita 50_1. Ep. 67_1 ver memoratur, nimirum a. 64. Quae sequuntur indicia aestatem omnia indicant: 83_5. 84_1. 86_{16}. 87_4. Ep. 104_1 scribit in Nomentanum suum se venisse fugientem febrem. Febris vero nunc quoque per menses Augustum usque ad Octobrem insidet illis regionibus. 110_1 in eodem praedio moratur. 122_1 autumnum significat esse. 123_1 in aliud praedium se recepit.

est conatus. Rectissime. Nam hanc unam esse viam rectius aliquid constituendi de temporis ordine servato aut corrupto iam cognovimus et si causam videbimus probabilem, cur Seneca hunc ipsum ordinem maluerit quam alium, si ergo cognoscemus, non casu sed certo consilio Senecae ipsi imputando loci mutationem esse factam, veri simile erit Senecam ipsum edidisse epistulas.

Redintegrat igitur Schultess quaestionem de epp. 49 et 70.[1]) Quas, etsi quo anno scriptae sint, e scriptoris silentio de tremore Campano non potest demonstrari, persuasum habeo, sicut Schultess, non hoc ordine esse scriptas. An credet quisquam, Senecam postquam ep. 49 nuntiavit, Pompeios se venisse eorumque adspectu revocatum esse desiderium amici, iam paucis intermissis epistulis scripturum fuisse: (70_1) *„Post longum intervallum Pompeios tuos vidi. in conspectum adulescentiac meae reductus sum.“?* Quoquo anno haec scripta sunt, temporis ordo est corruptus.

Deinde recte cognovit Schultess epp. 68—70 artissime sententiarum conexu ita cohaerere, ut vetaremur de una seorsum a reliquis sententiam ferre. Atqui 70 scriptam esse putat ante 49. Hoc igitur ordine eas esse compositas: 48. 68. 69. 70. 49. Sed Schultessii quoque argumentatio habet ubi claudicet. Nam epp. 48 et 49 tam arte cohaerent argumentis quam 68—70 neque sunt divellendae. Deinde poterant epp. 68—70 etiam scribi longo intervallo post 48 et 49, sed cum omnes colligerentur certis de causis propius ab illis poni. Quod vero dicit, verisimile esse, cum epistulam 48[2]) scriberet Seneca, consuluisse amicum, num in otium recederet: nam rem magnam agi elucere e Senecae verbis, neque ad philosophiam pertinentem, quia dicat aliud sibi expedire aliud Lucilio; Senecam autem, postquam diu circumspexisset, quid suaderet, ep. 68_1 respondisse: *„Consilio tuo accedo: absconde te in otio“;* argutius est excogitatum quam verius. Otium enim iam pridem commendaverat scriptor ep. 7 et 8 neque diu ei erat circumspiciendum, id utrum suaderet necne.

Simili errore his epistulis eas adnumerat ille, quae iuxta positae argumento quoque cohaerent, sed sic sunt conscriptae, ut in altera respondeatur ad Lucilii epistulam, qua is de quaestione prius acta aliquid monuerat. Nam quoniam sibi sumpsit omnes veras esse epistulas negat fieri potuisse ut tam paucis annis XX libri conficerentur, si semper Seneca exspectavisset Lucilii responsa. Cogebatur igitur, ne cum Martensio quinque annis adscriberet epistulas, quod facere ep. 8 prohibebatur, statuere Senecam inter binas epistulas isto modo

---

1) p. 39. 40. cfr. supra p. 617.

2) 48_1: *Ad epistulam, quam mihi ex itinere misisti, tam longam quam ipsum iter fuit, postea rescribam. seducere me debeo et quid suadeam circumspicere. nam tu quoque, qui consulis, diu an consuleres, cogitasti: quanto magis hoc mihi faciendum est, cum longiore mora opus sit, ut solvas quaestionem quam ut proponas? utique cum aliud tibi expediat, aliud mihi.*

cohaerentes scripsisse alias, sicut 68—70 inter 48 et 49, easque, ne sententiarum ordo turbaretur, alio loco esse positas et certum apparere editoris consilium a Senecae ingenio non alienum. Cuius generis gemina paria esse 66 et 67, 94 et 95, fortasse etiam 74 et 75. 76. Quod si quater factum esse credimus, quotiens poterat accidere nobis nescientibus! Tum non tantum 68—70 inter 48 et 49 essent ponendae, sed etiam quaerendum, quaenam locum mutavissent scriptae inter 66 et 67, 94 et 95, reliquas. Iam videte, quantam ordinis perturbationem faciat is, qui ordinem in universum recte esse servatum vult ostendere! Sed multo facilius res illa explicatur, si statuimus aut eas, quas supra memoravi, epistulas esse fictas, aut si hae verae sunt, esse alias permultas quas non iusto litterarum commercio debemus, sed Senecae philosophiae studio. Utrumque enim si credemus, nullam iam difficultatem praebebunt temporum angustiae.

Quid quod Schultess ipse[1]) invenisse sibi videtur series quasdam epistularum, non intervallis sed deinceps eodem tempore scriptarum, quarum altera alterius continuatur quaestio? Hoc in numero ponit 88—90, deinde 114 et 115, tum 82. 83. 85. 87, denique 96—103, postremo 75 et 76. Negat igitur, singularum epistularum commercium fuisse Senecae cum Lucilio, sed complures epistulas vel ad Lucilii interrogationes responsa una missione interdum traditas esse tabellario, ut nihil obstet, quin epistulas iustas esse Lucilioque omnes redditas credamus.[2]) Sic esse factum, ut in ep. 76 priorem appellaret 74^{am}, nimirum cum 75 et 76 una essent missae.[3]) At, obsecro vos, suntne hae iustae epistulae appellandae, praesertim cum Seneca ipse disertis verbis dicat, se ultro quoque quaestiones nonnullas tractasse[4])? Quin adeo Schultess ipse sententiam suam refellit haec addens[5]): „Quidni enim praeter responsa propria etiam ea, quae cotidiana μελετήματα apte Lipsius appellat, amico sapientiae studioso legenda permiserit?" Talia μελετήματα interdum ampliora sex septemve ad unam pertinentia quaestionem quis tandem potius appellabit epistulas quam librum epistularum forma compositum?

Videtis adhuc sub iudice esse litem nequedum diudicatam. Atque priores praeter Lipsium eo potissimum peccaverunt, quod de omnibus epistulis eandem sententiam ferre conati sunt, quarum diversa est natura, ideoque cogebantur, aut omnes statuere esse iustas epistulas, aut omnes fictas. Sed quoniam nonnullae occurrunt aperte iustae epistulae, plerique contenderunt omnes esse iustas. At nonne sic Seneca potuit rem instituere, ut veras falsasque certo usus consilio misceret?

Item cum tam pauca rerum publice gestarum testimonia viderent ea esse, quibus non prohiberemur credere, temporis ordinem esse ser-

1) p. 42. 2) p. 30. 3) p. 38. 4) ep. 118_1. 5) p. 30.

vatum, statim crediderunt, reliquos omnes iusto temporis ordine esse collectas, indeque singularum tempora enucleare sunt conati, neglegentes, solis anni temporibus memoratis omninò nihil de anno ipso posse constitui et tamen nonnumquam ordinem videri esse corruptum (ep. 70. 75).

Argumentorum vero et sententiarum conexum priores prorsus neglexerunt, Martens et Schultess parum respexerunt.

Denique cum, quis epistulas edidisset, quaererent, in eundem fere, quem modo reprehendi, inciderunt errorem, ut de omnibus coniunctim sententiam ferre conarentur, cum facilius per partes perveniatur ad totum. Nam si complures semper non tantum epistulae sed libri ita cohaerent, ut appareat certus sententiarum progressus singulaque efficiantur corpora per se absoluta, quid est verisimilius, quam ea alterum post alterum a Seneca ipso esse publicata, ut nulla remaneat dubitatio nisi de ultimo volumine?

Videtur igitur mihi nova via esse ingredienda et singulae singulorum voluminum epistulae accurate pertractandae, ut intellegamus, quasnam veras, quas fictas necesse sit putemus, deinde e sententiarum conexu concludendum, quae divelli nequeant, anquirendum, num certum in colligendis ordinandisque scriptor secutus sit consilium, videndum, ubi ad finem perducta sit cuiusque partis disputatio. Utrasque enim, veras et fictas epistulas vix alius ita miscere potuit, ut argumentorum iustus ordo esset conspicuus, nisi Seneca, neque alio consilio, nisi ut ederet, neque verisimile est, unum corpus tam diu esse retentum, postquam confectum est, donec tot alia conficerentur. Tum tandem ex eis, quae invenerimus, temporum indiciis erit statuendum, ante quod tempus in publicum prodire singula corpora non potuerint.

Non ignoro, arduum me adgredi opus et in quo saepius fallamur necesse sit. Sed cum aliorum quam potui accurate percensitis sententiis hanc viam rectam unamque reliquam esse cognovissem, credidi eam esse temptandam et si verum est, quod dicitur, audentem fortuna iuvabit.

Longius fortasse, quam par est, quibusdam videbor extendisse hanc de priorum sententiis disputationem. Sed putavi, nisi pravis opinionibus funditus evulsis in lubrico me esse aedificaturum, eoque nomine spero facile veniam me esse impetraturum a legentibus. Deinde commodius, quae sequentur, explicare potero, non subinde coactus priorum refellere errores.

Significavi in partes totum epistularum corpus esse scindendum. Non primus hoc vidi, sed epp. 1—29 unum effici corpus per se absolutum iam suspicati sunt Ionas, Martens, Schultess propter philosophorum sententias singulis adiectas, etsi magis idonea desideravi argumenta. Deinde Schultess[1]), quamquam non accurate

1) l. l. p. 34.

distinxit reliquas, cognovit tamen diversam esse priorum et posteriorum epistularum naturam. In priore enim parte propriam epistularum naturam magis quam in altera esse servatam atque expressam: in posteriore multas ad commentationum formam ambitumque extendi, quarum nonnulla, velut 94 et 95, dialogorum quorundam magnitudinem adaequarent. Idem intellexit iam ex hac specie externa aliquid posse concludi de tempore, cum dixit: „Illam autem partem merito priorem locum tenere constat, quoniam quidem consentaneum est primo id fuisse auctori consilium, ut iustas scriberet epistulas. cfr. 30_{18}. 45_{13}. extr. 58_{37}." Exordium vero illius partis extremae arbitror esse ep. 89, qua scriptor conatur ingens philosophiae corpus in partes dividere.

Sed epistulas quoque 30—88 infra demonstrabo in duas partes esse dividendas, quarum altera continet epp. 30—52, altera 53—88.

Sententiarum conexu potissimum nitar. Itaque ut facilius quid agatur legentes intellegant, singularum cuiusque partis epistularum argumenta sub unum conspectum ponam.

II. Novae sententiae expositio.

De corpore I.

(Libris I—III, epistulis 1—29.)

Iam in tribus libris primis cognoscetis omnia fere secundum sententiarum conexum recte esse ordinata. Haec enim eorum sunt argumenta.

I. 1: Tempori parce. 2: Cave ne distringaris librorum, quos legis, multitudine et varietate. 3: Veram cole amicitiam. 4: Quocumque tempore mortem exspecta. 5: Fuge mores notabiles. 6: Ut te ipsum possis emendare, cognosce vitia tua. 7: Vita turbam. 8: Vita turbam et quaere otium meo ipsius exemplo. 9: Amicitiam cole propter eam ipsam. 10: Sic vive, ut tuto tibi possis credi. 11: Naturalia vitia ne putaveris turpia. 12: Senectus plena est voluptatibus, si illa scias uti. Itaque non tam timenda est, quam amanda.

Omnia haec praecepta eodem tendunt, ut ostendatur, quomodo in universum vita ei sit ordinanda, qui ad sapientiam velit pervenire, sed inter se parum sunt conexa.

II. 13: Noli futura timere. 14: Tamen vita pericula. 15: Primum animi, tum corporis cura valetudinem. Corporis valetudinem serva modicis exercitationibus. 16: Animum philosophia excole et confirma adversus vitae varios casus. 17: Ab illa animi cura ne quid nos abducat, reliqua, quae putantur bona, velut res familiaris, sunt peglegenda. 18: Quam etiam amitti ne durum videatur, voluntariam naupertatem exerce. 19: Maxime vero impedimur occupationibus;

itaque ab omnibus negotiis est recedendum. 20: Omnino animi inconstantia prorsus est abicienda, qua philosophiam laudamus in rebus externis occupati. 21: Non occupationes publicae sed philosophiae et litterarum studium praestat gloriam sempiternam.

Haec argumenta omnia inter se cohaerent. Semper quod sequitur spectat ad antecedentia. Atque id docet Seneca, si vitam bene velimus ordinare, fieri non posse, quin philosophiae nos dedamus. Ab ea quaecumque nos prohibeant, esse abicienda. Hae igitur epistulae maximam partem iam certo consilio hoc ordine, quo leguntur, videntur esse scriptae.

III. 22: Subduc te occupationibus. Pretia enim illarum parva ac spernenda sunt. 23: Ne gaudeas vanis, quibus delectatur vulgus; nam ad dolorem vergit illud gaudium. Veri boni aviditas tuta est. 24: Desine timere vana, nam quaecumque timentur non sunt tanta mala, quanta putantur. 25: Paucis sis contentus. 26: Ne mortem quidem timeas: nihil enim habet mali. 27: Dummodo moriantur ante mortem vitia. Sola enim virtus perpetuum praestat gaudium. 28: Non peregrinationibus animus componitur. Antequam peregrinemur ille est componendus, quo facto etiam in turba servabit tranquillitatem et virtutem. 29: Marcellini conabor mores emendare; tu vero attolle animum contra formidata.

Totius libri argumentum cum antecedentibus cohaeret. Docemur enim facile ea, quibus prohibemur a philosophiae studio, nos posse abicere, si persuadeamus nobis ea esse vana atque contemnenda.

Quicumque accurate has legerit epistulas, intelleget effici his tribus libris corpus per se absolutum. Neque enim eiusdem modo libri epistulae ad eandem pertinent quaestionem, sed ipsorum librorum argumenta alterum alterum excipiunt. Atque exponitur primo libro: quomodo in universum vita sit bene ordinanda. Secundo: non sine philosophiae auxilio vitam bene posse ordinari. Nam ut corpori exercitatione, ita animo philosophia opus esse ad valetudinem servandam, itaque quae in vita a philosophiae studio abducant, esse abicienda. Tertio: Atque facile ea posse abici, cum sint vana et contemnenda.

Iam his argumentis per se spectatis suspicamur pleraque eodem hoc ordine esse conscripta aut saltem ordinata a Seneca ipso. Praeterea multo pluribus locis, quam enumeraverunt Ionas[1]) et Schultess[2]), disertis verbis spectat ad ea, quae legimus in epistulis sequentibus aut respicit quae antecedunt. 10_1 cfr. 9_{18}. 15_{10} cfr. 14_{17}. 20_{13} cfr. 18_5. 22_1 cfr. 19_1. 24_1 cfr. $13_{10 \cdot 11}$. 24_2 cfr. 13_5. 26_1 cfr. 12_1. $29_{2 \cdot 3}$ cfr. $14_{13 \cdot 14}$.

Atque ut putem hos libros non solum in eum, quem nunc habemus, ordinem a Seneca ipso esse redactos sed etiam seorsum editos,

---

1) cfr. supra p. 621 adn. 11.
2) cfr. supra p. 624.

iam eo commoveor, quod numquam ad reliquas epistulas spectat nisi ubi aliud corpus epistularum videtur significare, velut 16_6: *Sed non est nunc in hanc disputationem transeundum, quid sit iuris nostri, si providentia in imperio est.* et 26_8: *Scis cuius arca utar. Exspecta me pusillum, et de domo fiet numeratio: interim commodabit Epicurus.*

Deinde a reliquis libris primi tres eo sunt distincti, quod singulis adiectae sunt magnorum virorum voces praeclarae. Atque hae ipsae certo quodam vinculo cohaerent. Postquam enim 2_5 indicavit scriptor solere se cotidie unum aliquid excerpere, paulatim fingit morem quendam atque legem sibi exstitisse, ut cuique epistulae diei cuiusque lucellum adiungeret, ad quem morem passim diserte respicit. Luce clarius est, haec omnia artissime inter se esse coniuncta. Nunc illud quoque adicio ep. 29 propter §. 10[1]) totius corporis videri clausulam. Quibus addere possumus Senecae ipsius testimonium 33_1[2]), ex quo elucet eum ipsum voluisse hos tres libros tamquam unum corpus haberi.

Tamen sententiarum ordine in universum accuratissime servato accidit, ut facilius cognoscamus, quae ei repugnent aut turbent temporis ordinem. Ea nunc enumerare in animo est.

Legite quaeso ep. 8. Et hac et ea, quae antecedit, iubet scriptor turbam vitari. Idem argumentum bis tractatur. Aliquid tamen interest. In 7 ipse videtur adhuc turbae periculis esse obnoxius.[3]) In 8 suum ipsius proponit exemplum.[4]) Quid? nonne inde elucet, quid causae fuerit, cur scriberet epistulam octavam? Nimirum intellexit adhortationi illi turbae vitandae maiorem fore vim ipsius proposito exemplo. Quod cum in 7 non proposuerit, videtur tunc nondum prorsus recessisse a re publica, etsi ut recederet animum fortasse iam induxit.[5]) Itaque 8 ut scriptam esse credam statim post antecedentem nulla re possum commoveri. Necesse est aliquod spatium inter utrumque intercedere. Accedit, quod 8_7 *„adhuc,* inquit, *Epicurum compilamus,“* [6]) et paulo post §. 8: *„Potest fieri, ut me interroges, quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam potius quam nostrorum.“* Laudaverat autem antea Epicurum bis[7]), semel nomine omisso[8]), Pomponium semel[9]), Hecatonem Stoicum bis[10]), Democritum semel[11]), anonymum semel.[12]) Itaque absolutis demum voluminibus sic potuit loqui: in epistulis enim 11—29 semper laudat Epicurum; non eo loco, quo nunc has legimus litteras. Quid, quod 8_2 *„posterorum,* inquit, *negotium ago. illis aliqua, quae possint prodesse conscribo. salutares admoni-*

1) *Si pudorem haberes, **ultimam** mihi pensionem remisisses.*

2) cfr. supra p. 602 adn. 3.

3) 7_1 *confitebor imbecillitatem meam q. s.*

4) $8_{1.\,2}$. cfr. supra p. 614 adn. 2.

5) 7_1 *quod aegris evenit . . . hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur.*

6) cfr. O. Rossbach, de Senecae philosophi librorum recensione et emendatione. 1888 (Bresl. philol. Abhdlgg. II 3) p. 50. 54.

7) 2_5. 7_{11}. 8) 4_{10} cfr. 27_9. 9) 3_6. 10) 5_7. 6_7.

11) 7_{11}. 12) 7_{11}.

tiones ... litteris mando. 3. *rectum iter ... aliis monstro ...* 6. *si haec mecum, si haec cum posteris loquor q. s.*". Quis est qui dubitet quin Seneca haec non scripserit nisi editurus? Puto igitur scriptam esse ep. 8 cum ederet Seneca primum epistularum volumen postquam in otium se recepit.

Iam inspiciatis ep. 12. Senectutis laus ad cetera eiusdem libri argumenta non pertinet. Lepidissime tamen est conscripta. Itaque arbitror hanc esse veram, nulla alia de causa, nisi ne interiret, ceteris edendis insertam. Illa vero Epicuri sententia nescio an tum demum sit adiecta, ut ad ceteras accomodaretur. Nam Heracliti allata voce 12_7 diem Seneca iam expunxerat. Tamen non inepte hanc senectutis suae descriptionem quasi clausulam libro primo addidit, qui est de vita ordinanda.

Similis est ratio epistulae 21, quae in sapientiae laude occupata etsi nihil fere continet ad quaestionem propositam pertinens, apte tamen claudit librum II, quo philosophiae ostenditur utilitas. Minime autem est iusta epistula, sed composita ut ederetur. Nam quae §. 5 dicit: „*quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili,*" spectans ad Epicuri verba: „*Si gloria tangeris, notiorem epistulae meae te facient quam omnia ista, quae colis et propter quae coleris,*" haec nisi publicaturus Seneca non scripsit. Atque quoniam his verbis totum respicit epistularum corpus collectum ad editionem destinatum, scriptam eam esse opinor cum ederetur hoc volumen. Certe haec et ep. 22 non deinceps sunt scriptae. Nam in utraque laudantur Epicuri litterae datae ad Idomeneum, atque in epistula 21 copiosius de eis agitur. Estne igitur verisimile 22_5, si statim post illam esset scripta, Senecam dicturum fuisse: „*Epicuri epistulam ad hanc rem pertinentem legi, Idomeneo quae inscribitur q. s.*"? Nonne potius dixisset: „*quam scis me legisse*"; vel: „*quam supra laudavi*", vel simile quid? [1]) Scripta igitur est non tantum altera aliquo spatio post alteram, sed etiam 21 post 22, scilicet cum reliquae collectae ederentur.

Singularis est ep. 25, in qua nihil aliud spectat ad totius libri argumentum nisi una sententia §. 4, qua docet Seneca, naturam perpauca desiderare, panem atque aquam, reliqua esse supervacanea. Praeterea sententiarum ordo ea turbatur. Epistula enim 24 hortatur scriptor, ne timeamus vana, ep. 26 ut ne mortem quidem timeamus. Frugalitatis commendatio non quadrat in hunc sententiarum conexum. Videtur autem vera esse epistula. Agitur enim ea de duobus Senecae amicis vario modo a vitiis ad virtutem ducendis. Quorum nomina cum non legamus, puto ne offenderentur illi esse eiecta.[2]) Arbitror itaque hanc, sicut 12 nulla alia de causa esse receptam, nisi ut ab interitu servaretur. Ad ceteras quoad fieri potuit est accomodata additis Epicuri duabus sententiis. Nam mori suo iam antea satis-

1) cfr. 10_1. 15_{10}. 2) cfr. supra p. 602—5.

fecerat Seneca laudata Epicuri voce, quae in ipsum epistulae contextum recepta est.

Denique ep. 29 quoque (de Marcellino adhortando) speciem praefert verae epistulae, neque argumento cum praecedentibus cohaeret. Una §. 9 cum reliquis quodammodo est coniuncta, qua omnium praeceptorum summam Seneca inclusit. Fortasse propter hunc locum omnino est recepta. Sed quin a scriptore ipso in fine sit posita, nemo dubitabit, cum legamus §. 10: „*Ultimam pensionem*.“ Mirum hoc videtur in epistula mere privata, nisi hanc quoque Epicuri sententiam putamus postea demum esse adiectam, cum ederetur.

Iam, quaeso, quae adhuc disputavimus animo complectamini: Omnia in universum iusto sententiarum conexu procedunt, etsi verae epistulae sunt mixtae cum fictis. Aperte compluribus locis cognoscimus hunc ordinem a Seneca esse constitutum. Quae temporis ordini videntur repugnare, certis de causis a scriptore ipso sunt interiecta. Epistulam 29 appellat ultimam. Ipse consilium ceperat has epistulas edendi.[1]) Quis igitur credet scriptorem hos libros editioni paratos in scriniis suis abscondisse, donec tot alios conscriberet? Praeterea quam numerationem 26_8 promittit mox de domo se esse facturum, postea non facit neque vero publice promisisset, si scivisset se solvendo non esse, quod cognovisse se prodit 33_1. Edidit igitur ep. 26 antequam omnino scriberet ep. 33. Ergo epp. 1—29 omnes a Seneca ipso sunt non tantum conscriptae, sicut nunc legimus, atque hoc ordine collectae, sed etiam editae.

Nunc altera restat quaestio, quo tempore Seneca eas scripserit et publicaverit. Quod ut cognoscamus, necesse est in memoriam revocemus, quae antea disputavimus de singulis epistulis. Tum apparebit, non omnes epistulas uno tenore esse scriptas neque in omnibus eodem consilio usum esse scriptorem. Nonnullae enim non sunt verae epistulae, sed compositae ut ederentur, aliae tum demum, cum ederentur reliquae[2]), aliae verarum speciem praeferunt.[3]) In colligendis non tam temporis, quo scriptae sunt[4]), quam sententiarum ratio est habita. Si tamen temporis ordo cum sententiarum ordine congruit in plerisque, praesertim II et III libri, iam cum conscriberet eas Seneca videtur eo usus esse consilio, ut hoc ordine eas publicaret.

Atque si accuratius inspicietis singulos libros, magis apparebit, quod significavi, rationem quandam intercedere inter epp. 1—12 et 13—29. Nam primo libro continentur epistulae, quas cum argumentis quodammodo essent similes, scriptor in unum volumen collegit. Harum nescio an maiorem partem iusto debeamus litterarum commercio. Desideratur enim sententiarum certus progressus[5]), bis omissa sunt amicorum nomina[6]), semel tantum ad priora spectat

1) ep. $8_{2.\,6}$. 21_5. 2) epp. 8. 21. 3) epp. 25. 29.
4) cfr. 7 et 8, 21 et 22 al.
5) cfr. supra p. 628. 6) 3_1. 11_1.

scriptor [1]), ep. 8, qua turbatur conexus, est epistula ficta. Neque vero credendus est Seneca has tantum misisse ad Lucilium. Ea enim, quod notissimum est, erant tempora, quibus ut iustas querelas amicissimo suo scriberet, sescentas haberet causas. Tamen nihil in eis occurrit, quo Nero potuerit offendi. Deinde omnia fere, quae legimus in eis, pertinent ad philosophiam atque in primis ad mores emendandos. Sed quis est, qui credat, etiam cum publice colloquerentur, de nulla re verba fecisse Senecam et Lucilium, nisi de philosphia? Sequitur ut statuamus ex maiore epistularum numero has potissimum a Seneca esse electas, quibus amicum ad philosophiae studium conatus erat impellere, cum putaret illa praecepta aliis quoque fore utilia. Occurrunt vero etiam quae sint publicatae, etsi non sunt de philosophia, ut servarentur. Atque quoniam argumenta potissimum respexit Seneca in colligendis epistulis, suspicari licet alias quoque eodem tempore, quo priores sunt scriptae, esse compositas, quarum argumenta quamvis ad philosophiam spectarent, tamen cum ab eis, quae insunt in primo libro, viderentur aliena, in II demum et III librum vel in eos, qui sequuntur, recipi potuerunt, cuius generis re vera complures arbitror me invenisse. [2]) Cognoscitis Senecam hanc instituisse epistularum collectionem ea usus ratione, quam ab illis temporibus non fuisse alienam intellegimus ex C. Plinii Secundi verbis toti illius epistularum corpori praemissis. [3]) Censeo igitur Senecam ex eis quas antea scripserat epistulis has elegisse, ut ederentur, alias retinuisse, ut sequentibus infulciret libris, addidisse vero etiam tum cum ederet quasdam adhortationes, antea omissas, litterarum forma compositas, ne quae desiderarentur.

Longe alia est ratio epistularum 13—29. Hae enim non tantum argumentis sunt cognatae, sed etiam certo sententiarum conexu altera alteram excipiunt. [4]) Sunt igitur non tam certo consilio electae quam conscriptae, ideoque vix omnes iustae epistulae habendae. Tamen in his quoque occurrunt, quas coniecimus esse veras epistulas. [5]) Quarum quantum habeamus numerum, accurate non iam possumus enucleare. Nam si ex antea scriptis Seneca quasdam ad ceteras accommodatas inseruit, quomodo has ab illis internoscemus? Sed videntur his adnumerandae esse eae, quibus, cum iam antea additae essent sententiae praeclarae aliorum virorum, adiectas legimus etiam Epicuri voces. [6])

Deinde illud quoque velim consideretis, in primo libro variorum

1) 10_1.

2) ep. 14. 18. 19. 24. 30. 32. 34. 35. 36. 37. 42. 50. 111 de quibus statim disputabo et p. 639. 668.

3) Plin. ep. I 1: *Collegi non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat. Superest ut nec te consilii nec me paeniteat obsequii. Ita enim fiet ut eas quae adhuc neglectae iacent requiram, et si quas addidero, non supprimam.*

4) cfr. supra p. 628/29. 5) epp. 25. 29. 6) ep. 18. 19. 24.

philosophorum afferri voces in epistularum clausulis, easque saepe cum ipso litterarum argumento sententiarum conexu et disertis verbis ita coniunctas, ut ab illis vix possint segregari[1]), quin adeo 3_4 laudari Pomponii versus moris illius nulla facta mentione, contra in duobus, qui sequuntur, libris Epicuri sententiarum exhiberi catenam perpetuam ad ipsa argumenta vix pertinentium. Atqui demonstravit Hermannus Usener[2]) Senecam usum esse gnomologio ex Epicuri Epicureorumque scriptis excerpto. In prioribus igitur epistulis, scilicet veris, e variis hausit philosophorum scriptis quascumque invenit voces praeclaras ex more suo praeceptis addens magnorum virorum testimonia. Postea cum plures conscriberet, id iam agens ut posset eas edere, tempus deerat cuique eligendi portorii. Itaque ex illo gnomologio, quae melius videbantur dicta esse, suis epistulis inseruit atque adeo ut omnes essent ad unam eandemque normam conformatae, eis quoque adiecit II et III libri epistulis, quae, antea compositae, iam erant alius voce instructae.[3]) Huius consilii primum testimonium nescio an sit 14_{17}, ubi verba: „*Ut scias quam benigni simus, propositum est aliena laudare*“ non sunt eius, qui iam saepius indicaverat, solere se in aliena castra transire.[4]) Sequitur hanc quoque e iustis antea scriptis posteriore loco receptam esse inter fictas et ad editionem paratam adiecta Epicuri voce et verbis quibusdam in §. 8 de quibus supra[5]) disputavimus.

Iam intellegitis omnibus temporum vestigiis cautissime esse utendum, neque quidquam certius inde temere concludendum de editionis tempore. Itaque de hac prima parte hoc tantum pro certo potest affirmari, editam eam esse postquam in otium se recepit Seneca.[6]) Verisimile autem est primo otii tempore, iam anno 62 id esse factum. Nam in 8 epistula, ante ipsam editionem adiecta, recens legimus eum recessisse, cum recedendi consilium iam teneret 7_1. 14_8. 19_1.[7]) Accuratius tempus definiri posset, si sciremus, quo mense Seneca publicis occupationibus se subduxisset, sed nihil certius de otii initio traditur. Hoc vero constat, id non cadere in anni 62 menses extremos, sed primos. Nam ut Tacitus tradit, quem unum fere ducem sequi possumus in computandis mensibus[8]), illo anno primum actae sunt

---

1) cfr. 2_5. $7_{9.10}$. 9_{20}. $10_{4.5}$.
2) Epicurea, Lipsiae 1887 praef. p. LV—LVII.
3) 18. 19. 24. cfr. quae supra disserui p. 633.
4) 2_5. 8_7. 12_{11}. 13_{17}. 5) cfr. p. 606. 6) $8_{1.2}$.
7) cfr. supra p. 606—7 et 630. Ep. 14_8 ait: „*Idem facit sapiens: nocituram potentiam vitat, hoc primum cavens, ne vitare videatur.*“ Haec non videntur scripta esse post Senecae recessum. Tunc enim aperte vitabat nocituram potentiam. Huic vero epistulae cum clausulam adderet Seneca iam id egit, ut Epicuri laudandi initio facto (cfr. supra) ad editionem eam pararet. Sequitur ut fortasse iam ante recessum cogitaverit scriptor de colligendis edendisque epistulis. Sed haec pro certis venditare non audeo.
8) Cum alias Tacito maior fides videtur esse habenda quam Dioni,

Antistii Sosiani et Fabricii Veientonis causae [1]), deinde Burrus mortuus est [2]), quo casu Senecae adeo fracta est potentia [3]) ut in otium se reciperet. Sed multae aliae res post illius secessum [4]) eodem anno sunt gestae. Rubellii Plauti caedes in Asia, Fausti Cornelii Sullae in Gallia est perpetrata [5]), quo facto a senatu supplicationes sunt decretae, deinde [6]) Octavia est exturbata, XII post diebus Poppaea a Nerone in matrimonium ducta [7]), falso revocatae Octaviae nuntio multitudo est incitata ut impetum faceret in Poppaeae effigies ipsumque palatium, qua re perterritus imperator Octaviam interfecit. [8]) Suetonius vero tradit [9]) eodem die id accidisse, quo postea Nero ipse est mortuus. Is dies erat a. d. V. Id. Iun. [10]) Recessit igitur Seneca vix post m. Aprilem eodemque fere tempore edidit libros I—III ep. 1—29.

Quo tempore singulas scripserit epistulas nescimus. Nam si vera sunt, quae supra exposui, nihil lucramur ex anni temporibus bis memoratis. [11]) Certe non pertinent ad hiemem 62/3. Magnam tamen partem, si editae sunt primo otii tempore, necesse est scriptam esse multo ante recessum. Praesertim in primo libro offendit me, quod saepius non aliter Seneca alloquitur Lucilium, ac paedagogus pupillum, non ut amicus philosophiae deditus procuratorem Siciliae. [12]) Quod, quia Lucilius non multo iunior erat quam ipse [13]), facere non potuit nisi cum uterque non erat aetate provectior. Tum enim aetatis differentiae videntur maiores. Contra in ep. 8, quam coniecimus postea

---

tum de his temporibus excerpta tantum habemus e Dionis historia sumpta (cfr. Hermann Schiller, Geschichte des römischen Kaiserreichs unter der Regierung des Nero, Berlin 1872. p. 40 et eiusdem: Geschichte der römischen Kaiserzeit, Gotha 1883. I p. 4. 139/40). Suetonius vero temporis ordinem omnino non curat.

1) Tac. A. XIV 48—50. 2) A. XIV 51.

3) 52_1: *Mors Burri infregit Senecae potentiam.* c. 52—56.

4) A. XIV 57. *Perculso Seneca.*

5) A. XIV 57—59.

6) A. XIV 60. *Igitur accepto patrum consulto.*

7) Suet. Ner. 35. 8) Tac. A. XIV 61—64. 9) Suet. Ner. 57.

10) cfr. Schiller, röm. K. Z. p. 286 adn.

11) ep. 18_1. 23_1. cfr. supra p. 614 et 624.

12) 2_1: *Ex his quae mihi scribis, et ex his quae audio, bonam spem de te concipio. Non discurris q. s.* 3_1: *Itaque sic priore illo verbo quasi publico usus es et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus, quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus. Hac abierit!* $_8$: *Tu quidem ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis.* 4_2: *Tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, cum praetexta posita sumpsisti virilem togam et in forum deductus es: maius exspecta, cum puerilem animum deposueris, et te in viros philosophia transcripserit. adhuc enim non pueritia, sed quod est gravius, puerilitas remanet q. s.* 5_1: *Quod pertinaciter studes et omnibus omissis hoc unum agis, ut te meliorem cotidie facias, et probo et gaudeo, nec tantum hortor, ut perseveres, sed etiam rogo.* 10_1: *Et vide, quod iudicium meum habeas: audeo te tibi credere. al.*

13) 35_2.

esse scriptam, iam Lucilii laudantur carmina.[1]) Longe aliter amicum alloquitur in reliquis duobus libris.[2]) Apertius fiet, quomodo priores a posterioribus differant epistulae, si comparaveritis 5_1 [3]) cum 18_3.[4]) Quod illic suaserat, hic putat Lucilium ipsum censere. Item conferte 1_2 [5]) cum 24_{21}.[6]) Quod illo loco docet Seneca, hoc testatur Lucilium ipsum carminibus celebrasse. Duae epistulae, 14 et 19 scriptae sunt Lucilio iam Siciliae procuratore[7]), sed quo anno hoc munus ille susceperit memoriae non est traditum.

Minoris momenti est quod bis[8]) senem se vocat Seneca.

Denique ut paucis sententiam meam complectar, sic mihi videtur natum esse hoc corpus epistularum 1—29: Iam ante recessum suum litterarum commercio Seneca usus erat cum Lucilio. Postquam rem publicam propter temporum iniquitatem minus curare coepit, constituit ex illis epistulis eas, quas dignas et aptas habebat, quae a pluribus legerentur, certo quodam consilio collectas edere (epp. 1—12). In nonnullis, quas postea scripsit, fortasse iam, cum scriberet, eo spectavit, ut publici iuris fieri possent, sententiarum conexus ratione magis habita (13—29), aut composuit omnino non ad Lucilium permittendas.[9]) · Cum ederet eas, non tam tempus, quo erant scriptae, quam sententiarum ordinem respexit. Nonnullas tamen recepit, etsi argumentis erant alienae, quia accuratius erant scriptae (12. 25). Alias tum demum composuit, cum edebat et ut ederet, minime iustas epistulas (8. 21). Omnes in unam formam redegit addita illa prae-

---

1) 8_{10}: *Hunc versum a te dici non paulo melius, sed adstrictius memini . . . illud etiamnunc melius dictum a te non praeteribo.*

2) 13_1: *Multum tibi esse animi scio. nam etiam antequam instrueres te praeceptis salutaribus et dura vincentibus, satis adversus fortunam placebas tibi, et multo magis, postquam cum illa manum conseruisti viresque expertus es tuas . . .* $_8$*. . . saepe iam fortuna supra te fuit, nec tamen tradidisti te, sed subsiluisti et acrior constitisti.* 19_8: *In medium te protulit ingenii vigor, scriptorum elegantia, clarae et nobiles amicitiae.* 20_1: *Si vales et te dignum putas, qui aliquando fias tuus, gaudeo. mea enim gloria erit, si te istinc, ubi sine spe exeundi fluctuaris, extraxero.* 29_9: *Tu interim, qui potes, qui intellegis, unde quo evaseris et ex eo suspicaris, quousque sis evasurus q. s.*

3) *illud autem te admoneo, ne eorem more, qui non proficere sed conspici cupiunt, facias aliqua, quae in habitu tuo aut genere vitae notabilia sint q. s.*

4) *Si te bene novi, arbitri partibus functus nec per omnia nos similes esse pileatae turbae voluisses nec per omnia dissimiles.*

5) *In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus: magna pars eius iam praeteriit. quicquid aetatis retro est, mors tenet.*

6) *Haec cum descripsisses quo soles ore, semper quidem magnus, numquam tamen acrior quam ubi veritati commodas verba, dixisti: Mors non una venit, sed quae rapit, ultima mors est. Malo te legas quam epistulam meam.*

7) 14_8: *cum peteres Siciliam.* 19_5: *tulit te longe a conspectu vitae salubris rapida felicitas, provincia et procuratio, et quicquid ab istis promittitur q. s.* 8) 12_1. 26_1.

9) Nam etiam exceptis eis, quas supra enumeravi (p. 631. 633 adn. 6. 634) 14. 18. 19. 24. 25. 29 non audeo omnes contendere esse prorsus fictas.

clararum vocum catena inprimis Epicurearum. Putandus vero est retinuisse quasdam e veris, ut sequentibus libris insereret. Edidisse videtur epp. 1—29 anno 62 ineunte.

Atque in hoc primum corpus trium librorum eas potissimum collegit, quibus Lucilium cohortatus erat ad philosophiae studium. Si igitur quaerimus, quo nomine has aptissime complectamur epistulas, videtur eis esse incribendum: „adhortatio ad philosophiam“.[1])

De corpore II.

(Libris IV. V. epistulis 30—52.)

Iam inspiciatis IV et V libri argumenta.

IV. 30: Philosophia sola praestat hilaritatem etiam in conspectu mortis. Hoc verum esse cognoscimus Aufidii Bassi proposito exemplo. 31: Fuge laborem supervacaneum et id ante omnia age, ut animus excolatur scientia rerum. 32: Illud potissimum est agendum, ut vita nostra consummetur ante mortem. 33: Stoicorum praecepta excerptis tradi non possunt; sunt enim omnia apud illos aeque praeclara. Praeterea turpe est viro ex alienis flosculis pendere. Ipsos libros adeat et aliena cogitando sua faciat, ut ipse possit aliquid invenire nova via munita. 34: Gaudeo, quod tam vehementer properas ad bonitatem, quae eo cognoscitur, quod facta dictaque inter se congruunt. 35: Ut ostendas, te non solum amare me, sed esse amicum, fac ut semper tibi constes sine ulla voluntatis mutatione. 36: Ad veram tranquillitatem venimus mortis contemptione, quam posse contemni philosophia discimus. 37: Si vis necessitatem vincere et omnia tibi subicere, te subice rationi. 38: Plus proficitur in philosophiae praeceptis tradendis sermone cotidiano quam disputationibus praeparatis, dummodo idonea mens ea rapiat et in se trahat. 39: Immoderatam felicitatem magnus animus contemnit: mavult mediocria. Nimia enim

1) Aliquid addam quod, etsi certum non est, habet tamen aliquam veri similitudinem. Revertamini ad ep. 6, qua scriptor exponit se non emendari tantum, sed transfigurari. Cupere se cum Lucilio communicare tam subitam mutationem suam et omnia in illum transfundere, quae in se efficacia sit expertus, et in hoc gaudere se aliquid discere, ut doceat. „*Nullius*, inquit, *boni sine socio iucunda possessio est. Mittam itaque ipsos tibi libros* ... *plus tamen tibi et viva vox et convictus quam oratio proderit.*“ Quosnam libros h. l. creditis dici? Certe ipsius sunt, atque adeo, ni fallor, hi ipsi epistularum libri. In his enim agit de morum emendatione. In his, quae ipse didicit, docet. In his omnia conatur transfundere in amicum, quae in se efficacia erat expertus ad animum componendum et transfigurandum. Qua de causa mihi quidem videtur hanc epistulam servasse tamquam testimonium illius consilii, quod ceperat, epistularum libros colligendi et novis epistulis supplendi. Illud quoque elucet, cur non tantum epistularum speciem externam servaverit, sed etiam in eis, quae adiecit, eadem usus sit forma. Dicit enim 6_5: „*Plus tamen tibi et viva vox et convictus quam oratio proderit. in rem praesentem venias oportet.*“ Hanc cotidianae consuetudinis imaginem magis potuit servare in epistulis quam in dialogis aut commentationibus.

sunt supervacanea. 40: Philosophum decet esse tardiloquum. 41: Animus perfectus suo bono nitens, quae est bona ratio, testimonium est dei in homine hospitantis.

Huius libri epistulae quo vinculo contineantur, primo obtutu non satis apparet. Sunt enim hae quoque parum inter se conexae. Sed si accuratius inspexeris, cognosces eis omnibus exponi, quomodo philosophiae studium sit instituendum (31. 33. 37. 38. 40) aut animum perfectum laudari eiusque vim et naturam ostendi, ad quem perveniemus illo studio (30. 32. 34. 35. 36. 39. 41). In V libri epistulis idem fere consilium sequitur Seneca, sed paucis exceptis omnia certo sententiarum conexu procedunt et magis pertinent ad philosophiae studium recte instituendum.

V. 42: Bona mens cupit necessaria, contemnit operosa et supervacanea. 43: Bona conscientia efficitur, ut etiam in publico securi possimus vivere. 44: Illa bona mens, quoniam omnibus hominibus patet, sola reddit nobilem, non avi clari. 45: Prohibemur vero ad veram scientiam pervenire, si nimis operam damus verborum cavillationibus. Illae igitur sunt procul habendae, cum in supervacaneis tempus absumant ad meliora necessarium. 46: Summis laudibus cumulatur Lucilii liber. 47: Quoniam homines non avorum claritate sunt aestimandi, prudentiae et eruditionis est etiam cum servis vivere familiariter. 48: Verborum cavillationes non tantum sunt supervacaneae, sed etiam nocent. Comminuitur enim et debilitatur generosa indoles in istas argutias coniecta. 49: Prospicienda tamen est dialecticorum ars et a limine salutanda, ne verba nobis dari possint. 50: Sed multo magis id est agendum ut vitiis nostris perspectis revertamur ad naturam. Quod facile fiet, ubi animum nostrum formare coeperimus. 51: Regiones quaedam sapientibus sunt declinandae tamquam alienae bonis moribus. 52: Ut perveniamus ad veram sapientiam, quae est animi constantia, duce nobis opus est, quem eligamus oportet ex eis, qui vitam docent, non ex eis, qui vanos captant clamores.

Duo hi libri coniuncti seorsum in publicum sunt emissi, nam tres primos ab eis esse segregandos iam vidimus. Accedit quod et a prioribus et a sequentibus satis sunt diversi atque distincti.

Primum enim non adiecta est illa catena sententiarum praeclararum. Sunt quidem quatuor epistulis additae aut praemissae aliorum voces[1]), sed eae, quibus totius disputationis summa contineatur.

Deinde prioribus illis quaerebatur, quomodo vita ei esset ordinanda, qui ad philosophiae studium vellet accedere. His demonstratur, quomodo ipsius philosophiae studium sit instituendum, et quem fructum inde capiamus, si pervenerimus ad animum perfectum.

1) Epicuri $30_{14.\,16}$ prolata ab Aufidio Basso, Aristonis 36_3, Platonis 44_4, Epicuri 52_3.

Denique epistularum speciem adhuc diligenter servat Seneca et passim respicit ad Lucilii epistulas, quae ad se sint perlatae.[1]) Tamen non omnes sunt verae epistulae. Certe interdum de maiore quadam agens quaestione iam angustias has sibi sentit esse molestas.[2]) Ita factum est, ut eadem quaestio per complures epistulas continuetur, sicut per 44 et 47, quibus docet Seneca veram nobilitatem constare virtute, non claris avis neque corporis libertate, et per epp. 45. 48. 49, quibus ostendit, animum perfectum esse excelsiorem, quam qui ad dialecticorum scphismata descendat audienda et solvenda. Has si deinceps legeris, praeteritis tamen 45_{13} a verbis: „*sed ne epistulae modum excedam q. s.*" usque ad finem, item 48_{1-5}, 49_1 usque ad §. 5 verba: „*in supervacua maiorem partem erogare*", nihil desiderabis. Tales minime sunt verae epistulae, sed commentationes in capita divisae interiectis, quae epistularum restituerent speciem.

Sed horum librorum quoque inter utrumque aliquid interest. IV enim libri epistulas iam vidistis magis eo cohaerere, quod idem in omnibus consilium sequitur scriptor, cum V[1] argumenta certiore sententiarum conexu procedant. Itaque eadem fere secundi corporis est ratio atque primi. Utriusque enim prioris partis epistulae certo consilio sunt collectae, alterius conscriptae.

Iam per se verisimile est, omnia genera epistularum, quae in primo corpore invenimus, occurrere etiam in altero. In priore igitur libro insunt nonnullae epistulae, quas persuasum habeo multo antea iam esse scriptas. Iam 30 magis pertinet ad primi corporis quaestiones, neque novi quidquam in illa additur eis, quae in 26 erant disputata de morte contemnenda. Itaque arbitror eam, cum priores colligerentur, reiectam postea, ne Aufidii Bassi laus interiret, fortasse post illius mortem, in alterum corpus esse receptam. Item epp. 32, 34, 35, 36, 37 cum magis spectent ad vitam ordinandam secundum rectae rationis arbitrium, eodem loco sunt habendae. Adde quod 36_1 nomen amici desideratur. Idem cadit in V libri epistulam primam (42_1). Praeterea ep. 35 tam abruptum est initium, ut non dubitem, quin prior pars, tamquam minus idonea, quae publicaretur, sit abscisa, quod nisi in iustis litteris evenire vix poterat. Hae igitur omnes videntur verae esse epistulae, antea, cum ederentur priores, reiectae.[3]) Accedit, quod in his invenimus cohortationes simillimas eis, quas in prioribus voluminibus legimus, etsi eae sunt, quibus admoneri videatur iam ulterius progressus in philosophiae studio.[4]) Denique bis

---

1) 33_1. 34_1. 38_1. 39_1. 40_1. 41_1. 43_1 45_1. 46_1. 48_1 50_1.

2) 30_{18}: *Sed vereri debeo, ne tam longas epistulas peius quam mortem oderis.* 45_{13}: *Sed ne epistulae modum excedam, quae non debet sinistram manum legentis implere.* 47_{21}: *Diutius te morari nolo.*

3) cfr. supra p. 633 adn. 2.

4) 32_3: *Accelera et evade, perduc te in tutum et subinde considera, quam pulchra res sit consummare vitam ante mortem.* 34_2: *Adsero te mihi:*

ea dicuntur de Lucilio, quae non quadrant in procuratorem Siciliae.[1]) Haec scripta sunt aut postquam Lucilius desiit esse procurator aut antequam coepit. Illud vero minus est verisimile, quoniam demonstravi esse has epistulas ex antea neglectis, non ex additis. His adnumero ep. 50, qua cum nuntietur, Harpasten subito desiisse videre, speciem praefert iustae epistulae. Ad hoc quadrat, quod eius prima verba[2]) contraria sunt eis, quae legimus 38_1 et 40_1.

Habemus ergo octo epistulas antea reiectas, nunc receptas: 30, 32, 34, 35, 36, 37, 42, 50.

Contra simulatas esse iam dixi 44, 45, 47, 48, 49.

De ep. 41 quidquam certius affirmare non audeo. Est tamen inter praeclarissimas et ardore quodam animi scriptor ea commendat et laudat rationis rectae divinam vim atque virtutem, ut vix credam sine certo consilio eam esse scriptam, sed magna cum arte compositam ut clausula esset huius libri.

In eandem sententiam inclino quotiens perlego epistulam 52, ut credam hanc sicut 41 eo animo esse statim conscriptam, ut in fine totius corporis poneretur. Ostenditur enim ea, qua via perveniamus ad sapientiam et quem potissimum eligamus ducem, ut totius voluminis summa his litteris sit inclusa.

Etiam ep. 46, qua Seneca summis laudibus cumulat Lucilii librum, utrum vera sit epistula an ficta incertum est, etsi hoc verisimilius videtur. Id unum pro certo contendo, sive hoc sive illud statuimus, in hunc ordinem eam esse receptam ut Lucilii laudem posteris nuntiaret. Argumento enim a ceteris est alienissima et mirum quantum ea turbatur rerum ordo. Scripta vero videtur post 1—29. Nam si antea iam laudavisset Seneca librum illum, non video, cur non in primo iam corpore hanc laudem posuerit.

---

meum opus es. ego cum vidissem indolem tuam inieci manum et exhortatus sum, addidi stimulos nec lente ire passus sum, sed subinde incitavi q. s. 35_1: *Cum te tam valde rogo ut studeas.* 37_1: *Quod maximum vinculum est ad bonam mentem, promisisti virum bonum: sacramento rogatus es.* Fortasse erunt, quibus videatur Seneca finxisse has cohortationes, ut simularet eis ipsis incitatum Lucilium arripuisse philosophiae studium eoque ostenderet exhortationum vim universam, cum ep. 34 ita respiciat exhortationes antecedentes, tamquam finem nunc sit facturus exhortandi amico inter sapientiae studiosos recepto. At omnes illas epistulas etiam aliis de causis iudicavimus esse iustas; deinde istud si re vera fuisset Senecae consilium, ep. 34 in fine aut primi aut secundi corporis erat ponenda; denique non certo ordine laudes sequuntur exhortationes, sed utraeque inter se mixtae leguntur. Cfr. ep. 8_{10}.

1) 32_1 *Inquiro in te et ab omnibus sciscitor, qui ex ista regione veniunt, quid agas, ubi et cum quibus moreris . . . nihil audio, plerique ex his, quos interrogo, nesciunt quid agas.* (Cfr. 43_3: *Tu nunc in provincia, licet contemnas ipse te, magnus es. quid agas, quemadmodum coenes, quemadmodum dormias, quaeritur, scitur.)* de 34_1 cfr. supra p. 607.

2) *Epistulam tuam accepi post multos menses, quam mihi miseras.*

Numquam autem concedam iustam esse epistulam 33, quam scriptam esse post priores editas iam dixi (p. 632). Certe scripta est post epp. 1—29 in unum corpus redactas propter verba (§. 1): *„Desideras his quoque epistulis sicut prioribus adscribi aliquas voces nostrorum procerum."* Atque adeo cum dicit scriptor: *„his quoque epistulis"*, certum quendam numerum intellegi vult a prioribus diversum. Vix sic locutus est, nisi cum colligeret secundi corporis epistulas. Accedit, quod eius argumentum spectat ad huius ipsius collectionis rationem. Exponit enim Seneca, cur non, sicut antea Epicuri, sic nunc Stoicorum adiecerit vocum catenam. Haec omnia quotiens animo complector, non dubito, quin 33 non sit iusta epistula, sed composita reliquis iam conscriptis, cum ederetur alterum corpus. Qua cum doceatur, quomodo commentariis et excerptis sit utendum incumbenti ad philosophiam, suo iure hoc in ordine legitur.

Similis est 38. Haec quoque suo loco est posita neque argumento aliena a ceteris. Ostendit enim scriptor, quantum proficiatur sermone mutuo in philosophiae praeceptis tradendis. Sed hoc cum disputat quodammodo se excusat, cur adhuc utatur epistularum forma, cotidiani sermonis imagine. Respicit igitur totum corpus collectum. Porro legite quaeso initium: *„Merito exigis, ut hoc inter nos epistularum commercium frequentemus."* Diu dubitaverunt viri docti, quid esset concludendum ex his verbis.[1]) Mihi sic videtur: Quoniam magna pars harum epistularum erat iam antea scripta[2]), reliquarum permultae non iustae epistulae sed simulatae[3]), tota collectio multo breviore tempore post priorem erat finita, quam verisimile erat in vero epistularum commercio intra Siciliam et Romam vel Campaniam missarum et remissarum. Id ut aliquo modo redderet verisimilius, Seneca adiecit ep. 38 cum ceteras ederet ita conscriptam, ut aliquid conferret ad quaestionem propositam.

Inter utrasque, veras et fictas, medium locum tenent, quae restant, 31, 39, 40, 43, 51, quas non audeo neque huic neque illi numero adscribere. Puto igitur eas re vera post priores collectas a Seneca esse tabellario datas ad Lucilium perferendas, sed ita iam conscriptas, ut possint in hoc corpus recipi.

Seneca igitur iam cum ederet primum epistularum corpus constituit alterum addere[4]), in quod recepit quas iam antea conscripserat animi perfecti laudes et commendationes. Adiecit praecepta de philo-

---

1) cfr. supra p 621 et 624 adn. 3. Quod Schultess contendit, itineribus et Lucilium et Senecam antea prohibitos esse frequentes scribere epistulas, mihi non probavit. Illius enim unum memoratur iter 48_1, quoniam 28_1 ex alio corpore est sumpta, hic vero nihil narrat nisi Neapolim et Pompeios se venisse 49_1, ubi quam diu versatus sit et quali usus otio nescimus.

2) 30. 32. 34. 35. 36. 37. 42. 50. cfr. p. 640.

3) 33. 38. 41. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 52.

4) 26_8. cfr. p. 630 et 632.

sophiae studio recte instituendo epistularum forma uno tenore recens scripta. Intermiscuit nonnullas iustas epistulas post alterum corpus editum iam eo animo compositas, ut in hunc ordinem possent inseri. Omnia sic ordinavit, ut quoad fieri potuit appareret sententiarum conexus. Qua in re felicior erat in V libro, cuius maiorem partem deinceps scripsit, quam in IV, cuius plerasque epistulas collegit. Omnibus absolutis cum addere vellet Stoicorum voces a se ipso excerpendas, cognovit, quoniam gnomologium non praesto erat, id non ita facile posse fieri. Qua de causa se excusavit ep. 33. Eodem fere tempore addidit ep. 38.

Atque quoniam hoc corpore tam varias complexus est partes, fieri non potuit ut saepius disertis verbis eiusdem voluminis respiceret epistulas. Semel, 45_{13} (*in alium diem hanc litem cum dialecticis differam*) spectat ad 48 et 49 deinceps post illam scriptas.

Quo tempore singulae epistulae sint compositae, praeter ea, quae exposui, vix est qui accuratius investiget. Quando totum corpus sit editum, in universum constat ex eis, quae supra disputavimus. Certe absolutum erat non multo post priores tres libros publicatos[1]) anno fere 62 exeunte. Ad hoc tempus reliqua quadrant vestigia ex epistulis, tempus si respicimus, posterioribus sumpta: Seneca se senem esse dicit[2]), Lucilius adhuc procurator est Siciliae[3]), fortunam iam est expertus[4]), philosophiae cunctis viribus se dedit.[5])

Atque iam constituisse Senecam edere tertium epistularum corpus cognoscimus 36_{11}: „*Sed postea diligentius docebo, omnia quae videntur perire, mutari*“ (cfr. 58_{22}. $71_{13.14}$). 52_{15}: „*Differam hoc in praesentia. Desiderat enim propriam et longam exsecutionem, quemadmodum populo disserendum, quid sibi apud populum permittendum sit, quid populo apud se.*“ Etsi quam h. l. respiciat epistulam non liquet.[6]) Ep. 39 promittit, philosophiae commentarios se esse compositurum, sed in eis componendis suo se usurum esse more. Ad epistulas sequentes haec primo obtutu non videntur pertinere. Itaque quorsus spectent, adhuc incertum relinquo.

Est igitur corpus II ex variis epistulis arte atque consilio compositum. Ordinandi operam non est cur Senecae abiudicemus. Immo epp. 33 et 38 totum respicit corpus collectum et si recte contendimus

1) cfr. 33_1. 38_1.
2) (34_1. 35_3) 45_2. 48_5.
3) 31_9. 43_3. 45_2. 4) 31_5. 5) 31_1. 46_3. 47_{21}.
6) Duobus aliis locis. 46_3: „*De libro plura scribam cum illum retractavero*“ et 48_1: „*Ad epistulam, quam mihi ex itinere misisti, postea rescribam*“, nihil est tribuendum. Nam 48_1 nihil certius promittitur, et ep. 46 vidimus ideo esse insertam, quia Lucilii scripta ea laudantur. Itaque illis verbis §. 3 aut se excusat, cur non iudicii sui copiosa exsecutione legentium fatiget animos, aut si, quod minus verisimile est, privatae sunt litterae et vera promisit, fortasse is erat liber, cuius argumentum cum minus quadraret ad huius corporis epistulas et Lucilii laudi iam satis esset factum, promissae illae litterae ex hoc corpore erant excludendae.

epp. 44. 47 et 45. 48. 49 deinceps scriptas in partes esse divisas, a nemine id poterat fieri nisi a scriptore ipso, cum editionem pararet. Absolutum erat brevi post priora volumina edita. Quidni ergo credamus hoc quoque corpus, quo agitur de philosophiae studio recte instituendo, sic, ut nunc legimus, ab ipso esse publicatum?

Non nego evenire potuisse ut nonnullae exciderent epistulae. Sed cum sequentibus libris hos II a Seneca numquam esse coniunctos facile videbitis si III corporis inspicietis argumenta.